num, M. Livium Menandrum, & Hedym, memorabatur quoque EPITYNCHANVS, ille forſitan qui Germanici Caeſaris effigiem ſummo artificio ſculpſit, quam inferius exhibemus n. 1. in Tab. IX. & M. IVLIVS AGATHOPVS; (1) eruditum ſcrupulum mihi iniecit vir Praeclariſſimus Petrus Andreas Andreinius, penes quem fuit tum haec inſignis Gemma Agathopodis opus, tum altera quae ſequitur, mox illuſtranda, Oneſae nomine inſcripta, atque ut perveſtigarem hortatus eſt an hi *Aurifices* ſint hi ipſi Gemmarum Scalptores, qui a Graecis Δακτυλιογλύφοι appellantur, ut apud Diogenem Laërtium, qui in vita Pythagorae, Mneſarchum eius patrem laudat anulorum Scalptorem. Non enim hi Gemmarum Caelatores peculiari quodam nomine, ut ceteri artifices, a Latinis donati leguntur. In antiquis inſcriptionibus memorantur *Caelatores auri, & argenti*, item *Gemmarii*, (2) ſed liquido non conſtat an hi in Gemmis quoque ſigna inciderint. Fuere praeterea apud veteres *Flaturarii Sigillarii*, vel *Sigillariarii*, quorum etiam frequens mentio in vetuſtis lapidibus. Hos operam dediſſe arbitratur Ioannes Henricus Meibomius gemmis ſcalpendis, auroque includendis; qua arte praeditus in antiquo titulo (3) laudatur C. Iulius Thalatio, Maecenatis Libertus. Praeſtat eius verba referre: (4) *At Flaturarii Sigillarii fuere qui, & annulos conflabant ex auro argentoque, aut metallo alio, & iiſdem ſimul gemmas includebant; aut ſigna gemmis, vel metallo incidebant inſculpebantque, Graecis* Δακτυλιογλύφοι. De his eadem antea ſenſit Ioannes Kirchmannus. (5) Quidquid ſit, praetermiſſa etiam hac explicatione, quae an conveniat his artificibus minime nunc eſt perveſtigandum, ex his intelligere quiſque facile poteſt, diſerte non nominari in antiquis monumentis, & auctorum libris quodam proprio vocabulo hoſce Gemmarum, ut nos dicimus, Scalptores. Quare a doctis viris expendendum eſt an *Aurificum* nomine iidem intelligendi ſint, quum duo ex his celeberrimi Agathopus, & Epitynchanus inter Aurifices, qui aurea Auguſti aetate floruerunt, in deſcripti Conditorii ſepulcralibus titulis recenſeantur. D. Auguſtinus (6) *aurifices* laudans, eoſdem etiam appellat *inſignitores gemmarum*.

HER-

(1) Vide in praedicto Monumento, ſive Columbario Tit. CXIV. CXV. CXVI. CXVIII. CXX. CXXI. CXXII. pag. 150. & ſeqq.
(2) De his dixi in Notis, & Obſervationibus ad Monumentum, ſive Columbarium praedictum pag. 154.
(3) Vide Gruteri Theſaurum pag. DCXXXVIII. 6.
(4) In Singulari libro *De Maecenate* Cap. XXI. pag. 125. 126.
(5) De Annulis Cap. XI. pag. 93. 94.
(6) De Civitate Dei Lib. XXI. Cap. IV.

HERCVLES VICTOR
ONESAE OPVS.

EGregiam cum animi, tum corporis virtutem vultu praefert HERCVLES Iuvenis, Olympicorum certaminum VICTOR, (1) qui etiam *Olivarius*, (2) & Καλλίνικος *Callinicus* (3) appellari poteſt, inſigni artificio, atque eximia artis gloria ab ONESA inſcalptus huic Gemmae elegantiſſimae. Genae eius multa lanugine pubeſcentes ſummo ſtudio expreſſae obſervandae ſunt. Collum pingue eſt, & valde ſucculentum, circa quod leoninum ſpolium nodo religatum cernitur. Caput corona ex oleaſtro contexta, taeniiſque pulcherrimis vincta decoratur; quam e Panſtethio in Olympiam tranſtulit, (4) ſeque primum eorumdem Olympicorum ludorum auctorem, atque lucta, & pancratio victorem coronavit; non alienis uſum ſuffragiis, ſed proprio iudicio ut meritos honores referret. (5) Plura adfert eruditiſſimus Petrus Faber (6) de origine, & inſtitutione ludorum Olympicorum, & de coronis ex oleaſtro, quae καλλιςέφανος appellata eſt; ex quibus haec Gemma luculentius illuſtrari poteſt. TAB. I. n. III.

Quantus fuerit artifex Oneſas facile colligi poteſt tum ex hac ipſa Gemma, tum ex altera quam in Tab. IV. paullo inferius producimus, in qua Muſa cum cithara ab eo ſculpta eſt; latet vero tempus quo floruerit. Perrarum lapidem ſepulcralem Graeco titulo inſcriptum profero inter Donianas Inſcriptiones, (7) in quo memoratur Titus Aelius Oneſas Hadriani Imperatoris Libertus; ſed quae nam fuerit eius ars non exprimitur. An idem ſit cum noſtro Gemmarum ſcalptore minime adfirmare audeam: notandum tamen id cenſui quod in antiquis ſaxis, & quidem

B plu-

(1) Pauſanias in Eliacis prior. Cap. VII. & VIII. Statius Thebaidos Lib. VI. v. 5.

——— *Primus Piſaea per arva*
Hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem,
Pulvereumque fera crinem detorſit oliva.

Diſerte etiam Pindarus in Olymp. Ode II. & III. v. 25. & in Nem. Ode XI. Plutarchus in Vita Theſei. Vide Apollodorum in Biblioth. Lib. II.

(2) Romae, ut memorat Sex. Rufus, & P. Victor in Regione XI. fuit aedes Herculis *Olivarii*, ſive ut aliqui putant, teſte Nardino Lib. VII. Cap. IV. ſimulacrum; cui fortaſſis hoc inditum cognomen, quod corona oleaginea eſſet redimitum, quam in Olympicis victor, & primus Athleta conſecutus eſt.

(3) De hac Herculis appellatione vide Suidam, & Diogenem Laërtium in Diogene Sinopenſi fol. 216. & Ariſtidis Orationem in Herculem; Artemidorum in Oneirocr. Lib. II. Qua vero de cauſa hoc cognomentum conſecutus fuerit Hercules erudite exponit Petrus Faber in Agoniſtico Lib. II. Cap. XXII. pagg. 336. 337. 338.

(4) Ex Enarratore Ariſtophanis in Pluto, ad illud *κοτίνου ςεφάνῳ*, qui citat Ariſtotelis verba. Vide Nat. Comitis Mytholog. Lib. V. Cap. I., & Ben. Averanium in Anthologiam Diſſert. II.

(5) In nummis, & antiquis ſculpturis expreſſus eſt Hercules ſe coronans. Vide Fabrettum de Col. Traiani Cap. VI. pagg. 174. 175. & Cl. Philippum Bonarrotium Senatorem Flor. in Numiſm. max. mod. e Muſeo Carpineo, Tab. VI. n. 1. pag. 78. 79.

(6) In Agoniſtico Lib. I. Cap. XVI. & Lib. II. Cap. XXII. Confer etiam Tzetzem Chil. I. n. 21.

(7) Claſſe VII. n. 192. pag. 311.

plurimis quae legi, Onesae nomen mihi legenti numquam occurrerit.

TABVLA II.

EQVES GRAECVS PVGNANS

AVLI OPVS.

TAB. II. n. I. GEmmarum scalptor AVLVS inter artifices immortalitate nominis celeberrimos numerandus est; cuius complura opera pulcherrima ad nos pervenere: quae licet non unius generis sculpturas contineant, tamen ab eius manu profecta videntur. Principe in loco memorandum est caput Iuvenis eximiae formae, mihi adhuc incogniti, anaglyptico opere Chalcedonio exscisum, summo plane artificio, eiusdemque Auli nomine inscriptum; quo nuper Museum suum locupletavit Vir Amplissimus, omniumque vetusti aevi elegantiarum aestimator praeclarissimus Marchio Alexander Gregorius Capponius, Palatii Apostolici Forerius Maior.

Praeter hoc insigne Cameum exstant quinque Gemmae, quae eius nomen inscriptum praeferunt, quas Philippus De Stosch edidit, & illustravit. (1) Ex his habemus quadrigae Agitatorem, Dianam, & imaginem Ptolemaei Philopatoris. Reliquas duas e Florentinis Cimeliis Mediceo, & Strozio nos quoque producimus. Prima, quae spectatur in hac Tabula GRAECVM EQVITEM PVGNANTEM exhibet; altera vero mox afferenda in Tabula III. Aesculapium repraesentat.

Quod vero in hoc Mediceo Sardonyche Eques sago, sive chlamyde amictus, ac telum ex equo quamocyssime currente in hostes intorquens, Graecus sit, perspicue docent galea altiori cono ornata, & clypeus Argolicus valde ingens, & gravis, (2) cuius insigne est Medusae Gorgonis caput; quod quidem multo artificio, ac mirabili diligentia exscisum est; nam sagax Auli ma-

(1) Tab. XV. Tab. XVI. Tab. XVII. Tab. XVIII. Tab. XIX.

(2) Vide Ezech. Spanhemium in Hymnum Callimachi in Dianam pag. 167.

manus, ut etiam in hac parte pretium gemmae faceret, altam nativamque eiusdem Sardonychis, ut mihi perspicuum est, albam maculam eidem clypeo repraesentando felici labore accommodavit.

Sculpsit etiam Aulus in hyacinthi Gemma pulcherrima Cupidinem arboris trunco adfigentem papilionem; quam Ioannes Faber (1) non bene observato Auli nomine, in ea quoque ut in his Gemmis inscripto, putavit ad Brutum olim pertinuisse, qui prius fuit Decimus, sed postea ab Aulo Postumio Albino adoptatus, secundum morem adoptionum, praenomen adoptantis retinuit.

Praegrandes clypeos, ac rotundos in usu quoque fuisse apud antiquos Etruscos plura eorum iam edita monumenta ostendunt. (2) In Graeca, & Romana militia scuta non solum equitum, verum etiam peditum ingentia, & gravia fuisse, nec facile potuisse sustineri ex Cicerone, & Xenophonte ostendit doctissimus Petrus Victorius. (3)

ATHLETA VICTOR

ALLIONIS OPVS.

NOn discedam a sententia Leonardi Augustinii, cui etiam Paulus Alexander Maffeius assentitur, qui censet in hac Gemma elegantissima scalptum esse ATHLETAM in Pythiis ludis VICTOREM, laurea corona redimitum, cui decus addunt lemnisci flocculis quibusdam ornati; e quibus praemiis clarius elucet eius spectata virtus. In eo vero iidem alucinati sunt, quod ALLIONIS nomen huic Gemmae inscriptum, non artificem, sed ipsum Athletam victorem indicare putarunt. Sed venia danda est his aliisque non paucis de antiquitate optime meritis viris, quorum nominibus libenter abstineo: nam eorum aetate aut prorsus incognita, aut non bene perspecta fuere scalptorum nomina, quae ipsi gemmis adscribere consueverunt. Primus omnium rei antiquariae cultorum, qui eadem accurate observavit, fecitque ut alii observarent, fuit vir longe praestantis-

TAB. II. n. II.

(1) In Commentario in Imagines Illustrium apud Fulvium Vrsinum Tab. CXIV. pag. 67.

(2) Vide edita apud Th. Dempsterum de Etruria Regali Tab. XXI. Tab. XLVIII. Tab. LI. Tab. LIII. Tab. LIV. &c. Id animadvertit Clarissimus Senator Philippus Bonarrotius ad eadem monumenta addita Operi Dempsteriano. §. XXVII. pag. 45.

(3) Variar. Lect. Lib. XIX. Cap. XV.

tiſſimus Petrus Andreas Andreinius , qui permultas huius generis gemmas opificio inſignes , non ſummo ſolum ſtudio magniſque ſumptibus , verum etiam animo quodam regio ſibi comparavit .

Capilli criſpi ſunt , ac more Athletarum tonſi , qui convenire nequeunt Apollini , (1) cuius imaginem nullo modo expreſſam arbitror in hac Gemma . Nam prolixa caeſarie inſignem Apollinem nobis referunt ſculpturae non tantum veterum Romanorum , verum etiam Graecorum , & Etruſcorum . Non raro etiam Apollinis capilli , licet perbreves videantur , in elegantes plexus compoſiti ſunt , atque eius caput perbelle coronant . Accedit praeterea amiculum ex laevo humero , ac brachio pendens ; quod ornatus gratia eo modo compoſitum artifices tribuunt athletis , non vero Apollini , qui paludamento , ſive chlamyde ornatus frequenter occurrit .

Vultus huius Athletae multo artificio atque elegantia ſculptus , iuvenili decore fulget , vigetque , ut verbis utar Apuleii, athletico ſucco . Barba quoque incipiens non levem genis pleniuſculis gratiam praebet . Cervix , qualis a Philoſtrato iuniore Hyacintho tribuitur , excitata modice eſt , & proiecta . Hanc Diomedi , (2) & Vlyſſi , atque Alexandro Magno datam veteres ſculpturae teſtantur , (3) ad deſignandam mentis promptitudinem . (4)

De Allione nulla exſtat apud auctores mentio . In ſcalpendis gemmis valde celebrem , & peritum ſua aetate fuiſſe tum haec Gemma , tum altera , quam exhibet Tabula VIII. in qua Muſa expreſſa eſt , perſpicue oſtendit . Complures magni nominis ſtatuarios recenſet Plinius qui Athletas ſculpſerunt , inter quos memorandus Chalcoſthenes , Mycon , Batton , Euchir , Glaucides , Heliodorus , Hircanus , Myron ; inter Pictores vero duo illa lumina Zeuxis , & Protogenes . (5)

CA-

(1) Tibullus audiendus eſt Lib. I. Eleg. IV. v. 33.
Solis aeterna eſt Phoebo , Bacchoque iuventa ;
Nam decet intonſus crinis utrumque Deum .

(2) Huius imaginem eodem modo expreſſam habes in altero huius Muſei Florentini Volumine Tab. XXV. n. XII.

(3) Vide Phil. Stoſchii obſervationes in Gemmas antiquas caelatas Scalptorum nominibus inſignitas Tab. LV. pag. 78.

(4) Ex eodem Philoſtrato Iuniore in Pelope . Confer Franciſcum Iunium de Pictura Veterum Cap. IX. §. 7. pag. 237. & in Catalogo Artificum .

(5) Vide Plinium Lib. XXXIV. Cap. VIII. & Lib. XXXV. Cap. IX.

CAPVT VIRI BARBATI INCOGNITVM
HYLLI OPVS.

HAereo adhuc incertus an hoc caput inſigni, atque optimo artificio ſcalptum ab HYLLO, referat vel Poëtam, vel Oratorem, vel potius Philoſophum. Barba impexa, ac rigens, capilli inculti, ac fere hircini, oris dignitatem efferantes, pallium humeros amiciens, Philoſophum indicant; ſed quomodo diadema convenire poſſit Philoſopho, ſi tamen diadema eſt; nam non bene horrentibus undique capillis in ipſo gemmae ectypo apparet; nulla nec ratio, neque auctoritas ſuadet. De eo igitur quodcumque volunt iudicium ferant viri docti. TAB. II. n. III.

Hylli nomine duos fuiſſe lithographos, quorum nulla apud auctores mentio, ex eorum eximiis operibus diſcimus. Nam praeter hunc Hyllum, qui ſculpſit effigiem Cleopatrae, & Taurum Dionyſiacum, cuius opera vulgavit C. V. Philippus De Stoſch, (1) fuit etiam Hyllus, Dioſcoridis diſcipulus, vel filius, qui anaglyptico opere Chalcedonio exſcalpſit Faunum iuvenem ridenti ore; quod inſigne opus paucis ab hinc annis vidi inter alias egregii artificii gemmas Illuſtriſſimi Viri Iacobi Benedicti Winckleri Baronis Saxonis, quum Florentiae moraretur, atque ornatum hac epigraphe tribus lineis comprehenſa:

ΥΛΛΟϹ
ΔΙΟϹΚΟΥΡΙΔΟΥ
ΕΠΟΙΕΙ

Nam ad diſtinctionem alterius Hylli hunc addidiſſe arbitror nomen vel patris, vel praeceptoris, fama nominis celeberrimi, qualis fuit Dioſcorides Auguſti aetate. (2)

TA-

(1) Tab. XXXVIII. Tab. XXXIX. Tab. XL. ex Theſauro Regis Galliar. & ex Ful. Vrſini Imag. Ill.

(2) Vide Suetonium in Auguſto Cap. LIX. Plinium Lib. XXXVII. Cap. I.

TABVLA III.

IVPPITER
ASPASII OPVS.

TAB. III. n. I. PEriit iniuria temporis superior pars huius Gemmae: verum ex ipso quoque fragmento, in quo IVPPITER sculptus est tunicatus, facile cognosci potest quam egregius scalptor fuerit ASPASIVS eius auctor. Nulli certe aetatis suae secundum fuisse tum diligentia, tum caelandi peritia intelligere melius possumus ex alia Gemma pulcherrima, in qua Minerva Salutifera scalpta est magno studio, & labore, quam vide in praeclaro Opere Stoschiano. (1)

BACCHANS
PIGMONIS OPVS.

TAB. III. n. II. LItterae artificis nomen exhibentes in hoc antiquo vitro adeo exiles, & tenues sunt exiguaeque figurae, ut acrem cuiusvis obtutum paene effugiant: accedit quod neque optime impressae sunt; quare nil mirum si hactenus diversimode interpretatae fuerint. Leonardus Augustinius scriptum putavit ΠΕΜΑΛΛΙΟ, quasi ΜΙΜΑΛΛΙΟ, eaque epigraphe declaratum Bacchantis nomen. Masseius admisit ΠΕΜΑΛΛΙΟ, sed nomen artificis censuit. (2) Philippus De Stosch sedulo inspecto hoc vitro Mediceo, ut ipse testatur, legit ΠΕΡΓΑΜΟΥ, Pergamumque adseruit huius operis artificem fuisse. Verum collatis his nominibus cum ipso vitro archetypo, eoque non semel diligenter observato cum doctis viris, scriptum esse tum ipsis, tum mihi visum est, ΠΕΙΓΜΟ... deficientibus fortassis tribus litteris, quarum capax est locus, qui superest; adeoque legendum ΠΕΙΓΜΟΝΟС; nimirum Pigmo-

(1) Tab. XIII. & v. Tab. XLIX. in qua Bacchans exhibetur. (2) Gemmar. antiquar. Par. III. Tab. LV. pag. 99. 100.

Pigmonis opus ; cuius ſcalptoris nulla apud veteres auctores mentio habetur .

Sed quantum pulchritudinis , & artificii illud contineat haud facile dictu eſt . Cernitur expreſſus abſolutiſſimis corporis lineamentis BACCHANS iuvenis divino furore percitus , epoto vino , quo ſe ſe ingurgitavit , ut indicat vas vinarium ad pedes proiectum , ſaltans , & fluxo crine caput in humeros iactans , caelumque conſpiciens ; nam in Orgiis cultores Bacchi ſaltaſſe ferunt ſtrophen , & antiſtrophen ad imitationem motuum ſtellarum . (1) Pendet e ſiniſtro brachio maculoſae tigridis exuvium , e manu vero ſcyphus : dextera thyrſum intorquet , ſeu quatit , ad quem etiam taeniis religatae ſunt ferulae , quae in ſacris Bacchi adhibebantur . Haec ſaltatio fiebat ad modos Dithyrambicos , (2) ac Pyrrhiche dicebatur ; nam , ut ait Athenaeus , (3) haſtarum loco thyrſos geſtabant ſaltantes , eoſque alii mutuo in alios vibrabant , ferulas quoque vel lampadas ferentes ; ſaltandoque repraeſentabant Bacchi res geſtas , ſubactos Indos , & Penthei ſupplicium .

Fauni quoque caudati hoc modo ſaltantes exhibentur in aliis gemmis , quas vide in Tab. LXXXVII. n. II. IV. VII. primi Voluminis , acutaſque habent aures , & breve capillitium . Baccham inſanientem artis Scopae inſignis ſtatuarii miraculum egregie deſcribit Calliſtratus ; (4) cuius admirandam peritiam aemulatus forſitan eſt Pigmon huius operis auctor .

C V P I D O
D V B I I A R T I F I C I S O P V S.

PRaefert haec Gemma nomen inſcriptum BEICITAAOC ; litteris ſatis grandibus , quas artificis nomen indicare non crederem . Nam ſummi artifices in eo omnem operam ſtudiumque impenderunt ut nomen ſuum longe minimis , ac minutiſſimis litteris ſcriberent . Accedit quod Graeca omnia tum virorum , tum feminarum nomina aliquid ſemper ſignificant : at hoc vocabulum BEICITAAOC hoc modo ſcriptum , nullam interpretationem ſignificationemque admittit ; ſecus vero ſi ſcriptum fuiſ- TAB. III. n. III.

(1) Vide Saubertum de Sacr. vet. Cap. XVII.
(2) Lucianus Tom. I. pag. 852. Cal. de non tem. cred.
(3) Lib. XIV. Deipnoſoph. Cap. VII. pag. 631.
(4) In Statuis pag. mihi 865. 866.

fuiſſet ΠΕΙΣΙΤΑΛΟΣ, ſive ΔΕΙΣΙΤΑΛΟΣ. Sed ut Ioſephus Scaliger in Gruteriano Indice Capite XIX. & Reineſius (1) obſervant, adlatis exemplis, quum Β & Π alternent tum in Graecis tum in Latinis antiquis inſcriptionibus, de alternatione vero Β & Δ complura occurrant exempla in Aeolica dialecto, idcirco dubium erit an ea epigraphe declaret artificis nomen; in quo tamen ſcribendo nullus error admittendus fuerat. Igitur CVPIDO Aliger in ea ſculptus perelegans eſt, eoque habitu corporis haſtae, ſeu potius calamo innixus, nam aliquibus nodis diſtinctus eſt, egregii opificis manum commendat.

TABVLA IIII.

MVSA
ONESAE OPVS.

TAB. IIII. VEteres artifices in effingendis pulcherrimis ſignis maximo inter ſe ſtudio certaſſe, palmamque ſibi invicem praeripere ſtuduiſſe docent non ſolum complura inſignia opera vel picta, vel e marmore aut aere, quae a ſcriptoribus celebrantur, verum etiam Gemmae praeſtantium ſcalptorum, quae Deos Deaſve, & Heroas inter ſe omnino ſimiles, vel corporis habitu, ac veſtium cultu parum diverſos repraeſentant: quod quidem tunc potiſſimum faciebant quum eorum imagines vel ex picturis, vel ex ſignis longe abſolutiſſimis praecellentiſſimorum opificum, quae ab omnibus magno cum ſtupore ſpectabantur, mirabili ſolertia incidebant.

In ſcalpenda MVSA, quae in hac Tabula exhibetur, ad canendum ſe parante, citharaeque fides temperante, admoto nudo atque exerto dextero brachio paxillo, e quo eaedem deſcendunt, qualem etiam, vel parum diſſimilem ſculpſere Ariſtocles Sicyonius, & Agelades clariſſimi nominis ſtatuarii, quorum opera pereleganti epigrammate ab Antipatro celebrata ſunt, (2) ſedulam

(1) Cap. XIX. eorum quae ad Grammaticam pertinent. (2) In Anthologia Lib. IV. tit. 12.

dulam operam navarunt inſignes artifices ſuperius laudati Oneſas, & Allion . His iungendus , vel praeferendus Cronius , ſummam artis gloriam Auguſti aevo conſecutus , laudante eum Plinio , (1) qui adſimilem Muſam gemmae inſculpſit ; cuius prototypum periit , ſolumque ectypum ſuperfuit , olim inter Cimelia Petri Andreae Andreinii , nuper a me editum , (2) quod hodie cum omnibus antiquis magno numero impreſſis eiuſdem ſigillis apud me exſtat . Muſa Allionis opus paullo inferius Tab. VIII. profertur : de Muſa Oneſae , quam Cithariſtriam Auguſtinius cenſuit , (3) nunc ſermo . Ea praealtae columellae , cui impoſitum eſt Herois parvum ſignum , inſiſtit . Poëtarum , & Citharoedorum , illuſtrium virorum res geſtas canentium , ut arbitror , in xyſtis , vel porticibus , in quibus muſica certamina celebrabantur , mos fuit columnis inſiſtere. Hinc Teleſilla & aliis de cauſis femina illuſtris, quae praecipuum honorem ex poëtica meruit , apud Corinthios in templo Veneris ſculpta fuit columnae inſiſtens , & carmina pangens ; iacentibus ad pedes eius carminum voluminibus , ipſaque galeam adſpiciente , quam capiti iam impoſitura manu tenebat , uti accurate deſcribit Pauſanias . (4) Perelegans marmor exſtat in Mediceo Cimeliarchio opere anaglypho ſculptum, quod protuli ; (5) in quo Muſa ſtat coram Apolline ſedente , ac citharam fulciente genu ſuo , quae utroque cubito innixa ſcopulo carmen vel canit , vel meditatur . Adſimilem Muſam in aliis antiquis ſculpturis columnae incumbentem obſervavi . (6)

Cur vero tum Poëtae , tum Citharoedi , ac Cithariſtriae , canentes columnis inſiſterent , docet Philoſtratus iunior , qui Orpheum pſallentem ita graphice deſcribit : (7) Ο μὲν λαιὸς ἀπερείδων εἰς τὴν γῆν , ἀνέχει τὴν κιθάραν , ὑπὲρ μηρȣ̃ κειμένην · ὁ δεξιὸς δὲ , ἀναβάλλεται τὸν ῥυθμὸν , ἐπικροτῶν τȣ̃δαφος τῷ πεδίλῳ . αἱ χεῖρες δὲ , ἡ μὲν δεξιὰ , συνέχȣσα ἀπρὶξ τὸ πλῆκτρον ἐπιτέταται τοῖς φθόγγοις ἐγκειμένη τῷ ἀγκῶνι , καὶ καρπῷ ἔισω νεύοντι , ἡ λαιὰ δὲ , ὀρθοῖς πλήττει τοῖς δακτύλοις τȣ̀ς μίτȣς . *Siniſter quidem pes terrae adnixus ſuſtinet citharam ſupra femur poſitam ; dexter autem rhythmum proludit , ſolum calceo feriens : manus autem dextra firmiter quidem plectrum tenens extenditur ad fidium ſonos anconi incumbens , vola introrſus ſpectan-*

(1) Lib. XXXVII. Cap. I.
(2) In Par. I. Inſcriptionum antiquarum Etruriae Vrbium Tab. I. n. I. pag. XXXIX.
(3) Vide apud Eq. Maffeium Par. II. Gemmar. ant. Tab. L. pag. 106. 107. 108.
(4) In Corinthiacis Cap. XX.
(5) Vide in Par. I. Inſcr. ant. Etruriae Vrbium in fronte Inſcriptionum Muſei Medicei pag. 3.
(6) Sculpturas has vel profero , vel indico in eadem Par. I. Inſcr. ant. Etruriae Vrbium Tab. II. n. II. pag. XLVI. XLVII.
(7) In Iconibus pag. mihi 843.

te ; laeva autem nervos rectis digitis pulsat . Est etiam in hanc rem insignis locus Quintiliani haud sane omittendus . (1) *An vero* (inquit) *Citharoedi non simul & memoriae , & sono vocis , & pluribus flexibus serviunt , quum interim alios nervos dextera percurrunt , alios laeva trahunt , continent , probant ? Nec pes quidem otiosus , certam legem temporum servat , & haec pariter omnia .* Quae Philostrati , & Quintiliani descriptio quam mirifice & hanc Musam canentem illustret , quisque facile intelligit . Nam dexterum pedem posteriori parte elevatum , ac sublimem , iamque paratum ad prosequendos pulsu musicae modulationis numeros tenet : qui gestus βάσις , docente Polluce , (2) apud Musicos dicebatur , eo quod canentes pedem ad numeros eo prorsus modo componerent ut in hac Tabula , & in VIII. cernitur ; quae quidem metrica terrae pulsatio fieri recte non poterat nisi Citharoedi per se ipsos tenentes lyram , sive citharam columnis insisterent . Qui vero lyram super bases , aut tripodes statuebant , quemadmodum veteres sculpturae , & numismata ostendunt , quum motus omnes , & pulsationes facile stantes proludere pedibus possent , columnis minime indigebant quibus inniterentur .

Impressa est haec Musae perelegans icuncula masse vitreae croceae , chrysolithi colorem imitanti , quam Itali antiquarii *pastam antiquam* vocant , & Plinius obsidianum vitrum fictum ; olim adservatae in Dactyliotheca Andreinia , nunc Medicea .

TABVLA V.

HERCVLES CVM IOLE

TEVCRI OPVS.

TAB. V. QVamquam optime & accurate delineatam proferat haec Tabula insignem Gemmam a TEVCRO insculptam , eius tamen prototypum probatissimum si quis cernat, adeo tenet oculos ut nihil desiderari elegantius , ac perfectius possit . Cer-

(1) Institutionum Oratoriarum Lib. I. Cap. XII.

(2) Lib. II. Cap. IV. Segm. 199.

Cernitur HERCVLES provecta aetate, depositis armis, quasi iam plurimis maximisque laboribus fessus quietem cupiat, saxo instrato leoninis exuviis insidens, dexteroque brachio IOLEM Eurythi Oechaliae Regis filiam amplectens, quam valde deperiit, occisoque patre eius & urbe direpta captivam adduxit: (1) ea vero ante eumdem Heroam, mira corporis statura eminentem, pudibunda stat, demissis in terram oculis. Scalptoris pereximii artificium in exhibenda Iole puella pulcherrima, monstrorumque domitore fortissimo Hercule plane certat cum ipsius naturae veritate.

TABVLA VI.

BACCHVS ET ARIADNE
CARPI OPVS.

LAeta LIBERI PATRIS amore, & coniugio ARIADNE Minois Regis Cretae, & Pasiphaës filia, pristini doloris oblita, quod dormiens in Naxo insula a Theseo suo deserta fuisset, cum novo coniuge domiti Orientis victoria, & triumpho longe lateque conspicuo, pantherae inequitat, quemadmodum haec Gemma, CARPI opus, diligenter ab eo delineata, licet non satis optime perpolita, repraesentat. Bacchus barbatus est, atque e collo eius nebris dependet. In primo Volumine iam edito Musei Florentini, in adsimili Gemma VI. Tab. LXXXXI. egregio labore sculpta est eadem Ariadne cum Baccho iuvene tigridi inequitans; cuius caput & pectus hederacea, seu pampinea corolla condecoratur, tenetque dextra thyrsum. (2) In hac Gemma pantherae collum corona, ut videtur, myrtea, tamquam monili redimitum est; quo ornamento etiam insigniuntur hirci iuncti currui Liberi Patris, ut vidimus, aliaque eidem sacra animalia. Haec fabula, in qua exprimenda tum celeberrimorum pictorum, & statuariorum, tum scalptorum gemmarum certavit indu- TAB. VI.

(1) Ex Apollodoro Lib. II. Bibliothecae.

(2) Observationes vide pag. 164.

induſtria & labor, inſigne etiam fuit aedium vel Baccho, vel Cereri ſacrarum ornamentum, ut memorat Pauſanias, (1) & Plinius, (2) qui laudat Liberum Patrem, & Ariadnem egregio artificio pictos ab Ariſtide Thebano, qui Apellis aequalis fuit, ſpectatoſque Romae in aede Cereris.

TABVLA VII.

MEDVSA
SOLONIS OPVS.

TAB. VII. n. 1. QVod Calliſtratus copioſe, & eleganter deſcribens marmoream inſignem ſtatuam Bacchae inſanientis a Scopa factam pronuntiavit, eum divino quodam furore percitum in ſtatuae quoque opificium afflatum ipſum tranſmiſiſſe: (3) idem merita laude adfirmari poteſt de MEDVSA formoſiſſima, praecipuo locupletiſſimae Stroziae Dactyliothecae ornamento; quam crebris anguibus, non ad horrorem, ſed ad voluptatem admirationemque excitandam crinitam, SOLON praeſtantiſſimus gemmarum ſcalptor, mirandis abſolutiſſimi vultus lineamentis, ſummoque artificio, naturam ipſam provocante, quodam oeſtro plenus, uti archetypum ipſum clare teſtatur, effinxit.

Quum tanta ſit huius operis praeſtantia, merito arbitratur Philippus De Stoſch Solones duos eximios ſcalptores fuiſſe: quorum alter antiquior, & Pyrgotelis aevo proximus, ut ex ſculpturae ingenio, & litterarum forma apparet, Meduſam hanc inciderit; alter vero, Auguſti aevo florens, Diomedem, Maecenatem, & Cupidinem fecerit. (4)

HER-

(1) In Atticis Cap. XX.
(2) Lib. XXXV. 10.
(3) In Expoſitione Statuarum n. II. pagg. 865. 866.
(4) Vide in eius Opere Tab. LXIII. pag. 86.

HERCVLES IVVENIS
CNAEI OPVS.

SCalpendi arte peritiſſimum fuiſſe CNAEVM, de quo ſilent veteres auctores, perſpicue docet hoc opus plane eximium, & ſingulare, ſapphiro pulcherrimi coloris ad veritatem exſcalptum. In eo exhibetur, non ſine ſtupore, ac voluptate ſpectandum, HERCVLIS adhuc imberbis, atque in ipſo iuventutis flore, inſignes iam iam toto terrarum orbe aerumnas ſubituri, caput artificio conſummatiſſimum, quod profecto vivere credas, tantam docta artificis manus vultui pulchritudinem decuſque non ſolum iucundum, verumetiam ſubauſterum, ac plane virile felici labore immiſcuit. Capillorum breviſſimorum, ſatis etiam denſorum criſporumque quanta concinnitas, & elegantia! Quam dignae ſunt Hercule uberes genae, & collum teres, & ſucculentum, ad cuius latus adpoſita eſt oleaginea clava! Leoninae pellis inſigne non praefert; quod, ut arbitror, artifex eum exprimere voluerit ea aetate, qua nondum monſtra domuerat; quamquam provecta quoque, vel ad ſenium eadem vergente interdum leoninis exuviis circa collum ligatis, aut minime ligatis veteres artifices referre conſueverint. TAB. VII. n. II.

AESCVLAPIVS
AVLI OPVS.

AESCVLAPII Dei *Servatoris*, atque *Auxiliatoris maximi* vultus (1) miti decore, ac maieſtate plenus eſt; pulchra caeſarie, barbaque gravis ſimul atque venuſtus. Serpens, vigilantiſſimum animal, baculo circumvolutus pone adpoſitus eſt. (2) Quod alii ſcalptores non fecere, AVLVS huius gemmae, quae temporis iniuria fracta eſt, elegantiſſimus opifex, quem paullo ſuperius laudavimus, nomen ſuum in teſſera TAB. VII. n. III.

(1) *Auxiliator* appellatur Aeſculapius a Statio Lib. III. Silvarum in coma Earini ei ſacra:
Dicitur Idalios Ericis de vertice lucos
Dum petit, & molles agitat Venus aurea cycnos,
Pergameas intraſſe domos, ubi maximus aegris
AVXILIATOR adeſt, & feſtinantia ſiſtens
Fata, ſalutifero mitis Deus incubat angui.

(2) Vide Feſtum.

ſera ſcripſit, ut ſpectantium oculis facilius occurreret, atque emineret.

TABVLA VIII.

MVSA
ALLIONIS OPVS.

TAB. VIII. MVSA huic Sardae inciſa ab ALLIONE, licet habitu, ac motu ipſo corporis omnino ſimilis videatur alteri, quam ſculpſit Oneſas, & nos ſupra produximus in Tab. IV. tamen non in paucis aliquantulum differt: ſiquidem diverſus eſt capillorum cultus, qui criſpati eleganter, ac ſuperne more virginum nodo religati, quaſi florem quemdam conficiunt. Palla multo elegantior ad pedes uſque defluit; quae etiam adeo tenuis ac pellucida eſt ut membra latentia, nuda quodammodo appareant. Pes, ut ita dicam, metricus, ad metiendum ſonorum tempus paratus, praealto terrae cumulo incumbit. Lyra vero ſtructura ſua parum, vel minimum ab altera diverſa eſt, cuius iugum dextero brachio tendit Muſa; laeva vero manu non inferiorem partem, nempe anconem tenet, ſed eidem anconi cornu intortum ſubiectum eſt, quo pulſatae lyrae, ſeu citharae fides maiorem effundant ſonitum. Quod vero cornua, Graece κέρατα, praecipuae partes eſſent lyrae, docent diſerte Heſychius, Theophraſtus, (1) M. Tullius Cicero, (2) aliique auctores. Iulius Pollux Comicorum teſtimonio probare volens, (3) rudi adhuc ſeculo veteres in lyra cornuum loco arundine uſos fuiſſe, ad augendum ſcilicet, non terminandum ſonum, his verbis uſus eſt: καὶ δόνακα δὲ τινὰ ὑπολύριον οἱ Κωμικοὶ ὠνόμαζον, ὡς πάλαι ἀντὶ κεράτων ὑποτιθέμενον ταῖς λύραις· id eſt; *& arundinem quamdam hypolyriam Comici appellarunt; quippe quae olim, vice cornuum, lyris ſupponeretur*. Sed de univerſa lyrae, ſeu citharae ſtructura ſinguliſque eius partibus luculenter ſcripſit Ioannes Baptiſta Donius Patricius Flo-

(1) Lib. II. de Muſica apud Porphyrium.
(2) De Divinatione.
(3) Lib. IV. Cap. IX. Segm. 62. De lyrae partibus idem Pollux Lib. VI. Cap. XXXIX. Lib. VII. Cap. XXXIII.

Florentinus in eruditiſſimo opere, quod quamprimum, ut potero, e domeſticis eius forulis, in quibus hactenus delituit, eruam, optatamque in lucem producam.

Vittis, ac taeniis lyra ornatur, tum in his Gemmis, tum in antiquis Graecorum, & Etruſcorum ſculpturis; (1) quod Diis & Heroibus ſit dedicata, qua eorum hymni, & geſta cantantur. Icuncula columellae ſuperpoſita, vel Venerem, vel aliquam aliam Deam repraeſentat, vel Semelem; quam, ut narrat Philoſtratus, (2) Muſae in caelum aſcendentem cantu celebrarunt. Quo vero nomine appellanda ſit haec Muſa an Clio, ſeu Calliope, ſeu Erato, non determino; nam veteres Poëtae his quoque lyram tribuunt. (3)

TABVLA VIIII.

GERMANICVS CAESAR

EPITYNCHANI OPVS.

EPITYNCHANVM Gemmarum opificem pereximium ad ſummum artis faſtigium perveniſſe perſpicue declarat haec effigies, quam Ioannes Faber, & Philippus De Stoſch referre cenſuerunt GERMANICVM CAESAREM Auguſti nepotem; in quo nullae virtutes, quae in optimo principe eſſe debent, deſideratae ſunt. Egregia eius forma, vultus comitas, manſuetudo, decorque, qui a Tacito laudatur, (4) optime cum hoc abſolutiſſimo opere conveniunt. Inferiori parte invidia temporis fracta eſt haec Gemma Sardonychi anaglyptice exſcalpta; caput vero eiuſdem Principis integrum, longe ſpiranti, ac viventi ſimile, ſummam artis praeſtantiam oſtentat. Floruit Epitynchanus Auguſti aetate, ac fortaſſis ille ipſe eſt cuius Manibus dedicatus occurrit in Monumento, ſive Columbario Libertorum, & Servorum Liviae Auguſtae, & Caeſarum, ut ſupra diximus, ſepul- TAB. VIIII. n. I.

(1) Vide in Dempſteriano opere Tab. XVII.
(2) Iconum Lib. I. in Semele.
(3) Vide Volum. I. Muſei Flor. Obſervationes pag. 100. 103.
(4) Annal. Lib. II. n. 72. 73.

pulcralis titulus ita inſcriptus : (1) EPYTYCANVS AVRIFEX ; ſed emendate ita legendum eſt : EPITYNCHANVS AVRIFEX. Vixit Germanicus annis trigintaquatuor ; ſed in hac gemma in ipſo adoleſcentiae flore expreſſus videtur .

SILENI PERSONA
SELEVCI OPVS.

TAB. VIIII. n. II. PRimus omnium artificum , qui perſonas , & larvas fecerunt , Hermon fuiſſe fertur ; quae , ut inquit auctor Etymologici magni , apud Graecos Ερμώνεια nomen ab inventore acceperunt . (2) Inter Satyricas perſonas enumerat Pollux (3) Satyrum canum , Satyrum barbatum , Satyrum imberbem , Silenum , Anum , & reliquas his ſimiles . Ex his complures exſtant in antiquaria ſupellectile , & quidem egregio opere ſcalptae in Gemmis a praeſtantibus lithographis ; quarum non paucas produximus in primo Volumine huiuſce Muſei Florentini : (4) verum quae artificis nomen inſcriptum praeferant , praeter has duas Gemmas in hac Tabula IX. relatas , ac depromptas ex Dactyliotheca Riccardia , & Strozia , nullae aliae ad hoc tempus ad manus noſtras venere ; quare perrarae ſunt , ac ſingulares , meritoque pluris faciendae .

Riccardia haec Gemma , SELEVCI opus , inſcalptam praefert multo artificio SILENI PERSONAM . Hederacea corona revinctum eſt recalvaſtrum caput , & quaſſabundum , quod multo vino gravatum videtur . Frons tuberoſa eſt , oculi emiſſicii , eminentia ſupercilia , os patulum , barba horride impexa , atque intorta ; tota denique perſona ad hilaritatem , & riſum miro artificio compoſita .

Aliae Gemmae , ſi a me editae non fuiſſent , (5) his addi poterant , ſcalptorum nomine inſignitae ; nempe Muſa *Croni* opus ; Apollo Citharoedus *Cleonis* ; Minerva *Antiochi* ; quae quum iam perierint , pro archetypis ectypa tantum ſuperſunt , ac penes me ſunt , olim mihi dono data ab egregio viro Petro Andrea Andrei-

(1) Vide n. CXV. pag. 151.
(2) Vide etiam Franciſcum Iunium in Catalogo Artificum .
(3) Lib. IV. Cap. XIX. Segm. 142.
(4) Obſerva Tabulas XXXXV. XXXXVI. XXXXVII. XXXXVIII. uſque ad LII.
(5) In Par. I. Inſcr. ant Etruriae Vrbium Tab. I.

Andreinio . Exſtat etiam apud me Diomedes , & Vlyſſes ob ſurreptum Palladium invicem contendentes , *Felicis* alterum opus , numquam antea vulgatum , quod inferius deſcribam .

S A T Y R I P E R S O N A
S C Y L A C I S O P V S .

PRaeter Seleucum , ex hac Gemma Strozia SCYLACEM didiſcimus in ſcalpendis Satyricis perſonis multo ingenio , & arte excelluiſſe . Semihircina SATYRI facies riſum exprimit ; verum cum ipſo riſu certat quidam horror , egregio artificio conmixtus . Rigent hac illac diffluentes inculti capilli ; horret barba hiſpida atque impexa : quae omnia eximiam Scylacis peritiam perſpicue declarant . Neque vero in effingendis tantum Satyricis perſonis valde eminuit Scylax ; in aliis quoque Gemmarum apophragiſmatis , & emblematis multam artis gloriam conſecutum fuiſſe docet Hercules Muſarum , quem Philippus De Stoſch adfert ex Sardonyche anaglyptice exſcalpto , ex Muſeo Tepolo . (1) TAB. VIIII. n. III.

T A B V L A X.

C V P I D O
S O L O N I S O P V S .

DEpoſitis armis , arcu , face , & ſagittis , cernitur CVPIDO placidus , ac ridens , quaſi pacis Deus , uti laudatur a Propertio , (2) pereleganter expreſſus in hac Gemma a SOLONE , de quo ſupra diximus ; qui ut eum mortalibus valde beneficum , atque auxiliatorem oſtenderet , inermem fecit , ac dexteram manum ſalutarem protendentem , blandeque porri- TAB. X. n. I.

 gen-

(1) Tab LIX.
2) Lib. III. Eleg. III. v. 23.
Pacis Amor Deus eſt , pacem veneramur amantes ;
Stant mihi cum Domina praelia dura mea .

gentem quasi propitium, & placidum numen. Alae expansae, atque ad volandum faciles, ad celerem opem praestandam eum indicant paratissimum, qualis etiam describitur in Graeco antiquo Epigrammate. (1)

MAECENAS
SOLONIS OPUS.

TAB. X. n. II. MAECENATIS ex Etruriae regibus orti effigiem, SOLONIS opus, ex Sarda Dactyliothecae Boncompagniae Ludovisiae edidit saepius a me omni cum laude memorandus Philippus De Stosch; (2) quae ad amussim huic Sardae ex Riccardiis Cimeliis depromptae respondet. In utraque eadem est characterum forma, & COΛωΝΟC artificis nomen non hoc modo in ectypis impressum cernitur, sed inverso ordine, videlicet, ϽΟΝωΛΟϽ; quod praestantes Graeci artifices numquam fecisse animadverti: nam id summam in scalpendis litteris oscitantiam, & imperitiam perspicue arguit.

RHOEMETALCES THRACIAE REX
AMPHOTERI OPUS.

TAB. X. n. III. ARtificis nomen ΑΜΦΟ non integrum, sed decurtatum, huic Gemmae incisum antiqua manu, utrum ΑΜΦΟΤΕΡΟC, an aliter interpretandum sit, suppletis aliquot litteris, videant viri docti. Quod vero artifices celeberrimi per compendiarias notas inscribere consueverint nomen suum, satis superque indicant complures aliae Gemmae a Philippo De Stosch, (3) atque a nobis superius editae. (4) Rhoemetalcis Thraciae Regis effigies sculpta censetur in hac Gemma, quae cum alia convenit, quam descripsimus in priori iam edito Volumine huiusce Musei Florentini Tab. XXVI. n. III.

TA-

(1) Anthologiae Lib. IV. Cap. XII. n. 56.
(2) Vide Tab. LXII. pag. 84. & 86.
(3) Tabul. VI. XXVI. XXXVII. XLIV. LXV.
(4) Vide Tab. III. n. II. & Tab. IX. n. II.

TABVLA XI.

ANNVLVS AVREVS
TRIBVS GEMMIS CONCOLORIBVS ORNATVS DONO DATVS IN CIRCENSIBVS.

EXpoſitis Gemmis Scalptorum nomine inſignibus, ad reliquas huius Claſſis obſervandas gradum facio; quae quum ornatae ſint inſcriptionibus, & titulis vel Phoeniciis, vel Graecis, vel Latinis; *litteratae*, ut ita dicam, Plauti, & Athenaei exemplo, qui vaſcula litteris nobilitata hoc vocabulo commendarunt, appellari poſſunt. Praecedit has omnes Gemmas opificio, raritate, elegantia, atque eruditione, quam continet, maxime notabilis aureus ANNVLVS; in quo quum diſpoſitae ſint tres Gemmae e rubro pellucido lapillo, qui *granato* ab Italis dicitur, utraque caelandi arte elaboratae, *trigemmeus* vocari poteſt; eodem modo ut in epiſtola Valeriani Imperatoris apud Trebellium Pollionem, (1) memoratur *annulus bigemmeus uncialis*. Forma eius valde peculiaris eſt; eaque in medio huius Tabulae oſtenditur. Singulis quatuor partibus, quibus componitur, intus rotunda fere forma conſtans, aliae maiores omnino ſimiles ſpectantium commodo ita expreſſae, iiſdem numeris indicatae reſpondent. TAB. XI.

In funda, ſeu pala n. I. prominet anaglyptico opere exſcalpta non ineleganter feminae imago; cuius caput mitella, & reticulo comas cooperiente, ac vinciente pereleganter ornatum eſt. Hinc, & hinc n. II. & III. in duabus Gemmis eiuſdem generis diaglyptice inciſa ſunt equorum capita. Extra has Gemmas in utroque latere in auro ſubſcripta ſunt eorumdem equorum nomina, in dextero AMOR; in laevo OSPIS. Quod vero eximiam huius annuli raritatem valde auget atque illuſtrat eſt epigraphe POMPHINICA, faberrime expreſſa in orbiculo ex adverſo imaginis, ut in n. IV. cuius litterae, ſublatis omnibus ſpatiis, tanto ingenio, tantaque artis ſecuritate circumquaque per-

(1) Vide Ioannem Kirchmannum de Annulis Cap. II. L. Begerus annulum affert ex integra Gemma p. 150.

foratae ſunt, ut intuentium oculos in admirationem huiuſmodi eximii operis rapiant, cui quidem aliud ſimile videre numquam contigit.

Inſignis hic annulus non indiget Oedipo, qui coniiciat quid haec emblemata in eo inſerta ſignificent. Aurigae Circenſium victori dono forte datum fuiſſe indicant equi funales eius quadrigae, ut puto, factionis Ruſſatae, cui lapillorum color alludit: in quorum virtute agitatores ſpem omnem victoriae reponebant; quos etiam in Circo decurrentes proprio nomine compellare, excitare, accendere, & urgere ſolebant; eorumdemque nomina in tabulis memoriae cauſa recenſebantur; ac palmae numerabantur, quas vicerant, addita eorum patria, & colore. (1) Iugales equi, utpote infirmiores, nullum ex his honoribus conſequebantur; quapropter nil mirum ſi praetermiſſi fuerint, duoque tantum principes quadrigae in hoc annulo ſculpti conſpiciantur, addito etiam nomine. Funalis equus ad dexteram appellatur AMOR, eo quod velox eſſet vel pulcher; cui alius adſimilis in Gruteriano laterculo dicitur CVPIDO: alter vero ad ſiniſtram vocatur OSPIS, fortaſſe HOSPES; omiſſa, ut veteres non raro fecere, adſpirata H. ſcriptoque I pro E. Hoc nomen forſitan ea de cauſa conſecutus eſt (non enim nomina ſine aliqua ratione ab antiquis imponebantur) quod domino factionis eſſet valde carus, ac veluti hoſpes magnis honoribus adfectus. Inſaniſſe veteres, quod etiam hodie uſu venit, equorum amore pervulgatum eſt. Vnicum adferam Caii Caeſaris exemplum, ut de L. Vero, & Commodo ceteriſque taceam; de quo ita Suetonius: (2) *Praſinae factioni ita addictus, & deditus, ut coenaret in ſtabulo aſſidue, & maneret. Agitatori Eutycho commiſſatione quadam in apophoretis vicies* H-S *contulit. Incitato equo, cuius cauſa pridie Circenſes, ne inquietaretur, viciniae ſilentium per milites indicere ſolebat, praeter equile marmoreum, & praeſepe eburneum, praeterque purpurea tegumenta, ac monile e gemmis, domum etiam & familiam, & ſupellectilem dedit, quo lautius nomine eius invitati acciperentur. Conſulatum quoque traditur deſtinaſſe.*

Equorum generoſum animum inflatumque populorum, qui in Circo ſpectabant, plauſu, & favore, indicat elata cervix, ac frons veluti laceſſens, quemadmodum victores equi a poëtis deſcri-

(1) Vide Gruterum CCCXLI. & CCCXLII.

(2) In eius vita Cap. 55.

ſcribuntur . (1) Iubae equi AMORIS perbreves ſunt , ſolutae , atque impexae ; (2) HOSPITIS vero proprius collum raſae , quo facilior curſus redderetur . (3)

Neque etiam dubitare nos ſinit quin ad Circenſes pertineat hic annulus , quum POMPHII aurigae nomen praeferat ita expreſſum POMPHINICA , tamquam unica voce ex duabus ; quod in Circo populi adclamantes ita proferebant ; quum compoſitum ſit ex POMPHI , hoc eſt *Pompei* vocativo caſu , e Pompeia familia Romana ſatis nota ; (in qua ſcriptura H ſtat loco E , non ſine exemplo complurium vetuſtorum lapidum , quos attuli , & illuſtravi , (4) in quibus ſcriptum eſt SIIRVO MIIRIINTI FIICIT , & FIILIX FIICIT. pro *Servo merenti fecit* , & *Felix fecit* .) & Graeco verbo NICA , quod Graecis litteris eſt νίκα , id eſt *vince :* nam hoc modo aurigis adclamabant ſpectatores vel quum decurrerent , vel quum per Circum incedentes ante decurſionem ſe oſtenderent ; quo etiam nomine victoris aurigae tota factio compellabatur . (5) Circi favorem , & ſtudium expreſſit Ovidius : (6)

Circus in hunc exit , clamataque palma theatris ;
Sic quoque cum Circi munere carmen eat .

Idem curſum Hippomenis ita deſcribit ut Circenſium favorem repraeſentet : (7)

Signa tubae dederant , cum carcere pronus uterque
Emicat , & ſummam celeri pede libat arenam .
Poſſe putes illos ſicco freta radere paſſu ,
Et ſegetis canae ſtantes percurrere ariſtas .
Adiiciunt animos iuveni clamorque favorque
Verbaque dicentum , nunc nunc incumbere tempus ;
Hippomene propera , nunc viribus utere totis ;
Pelle moram VINCES .

Et

(1) Silius Punicorum Lib. XVI. v. 397.
——— *Cyrnum poſt terga relinquit ,*
Confremit & caelum , & percuſſus vocibus altis
Spectantium Circus ; fertur ſublime per auras ,
Altius attollens cervicem victor ovantem
Panchates . ———
(2) Sidonius ad Coſent.
Veſtra inſignia continent miniſtri :
Ora , & lora manu , iubaſque
Cogunt flexilibus latere nodis .
Statius Lib. VI. Theb.
Circumſtant fidi , nexuſque & torta iubarum
Expediunt , firmantque animos , & plurima monſtrant .
(3) Vegetius Lib. I. de re veter. *Multi enim curulibus , & ſellariis iumentis preſſius colla radunt : quae res licet praeſtare creditur , tamen ſub honeſto ſeſſore deformis eſt .*
(4) Vide Par. I. Inſcr. antiq. Etruriae Vrbium pag. 161. & 162. n. 100. & pag. 431. n. 10.
(5) Confer Obſervationes ad Vaſa vitrea Coemeter. Sen. Philippi Bonarroti in Tab. XXVII. Fig. I. pag. 181.
(6) Faſtorum Lib. V.
(7) Metamorphoſ. Lib. X. Fab. XI. v. 652.

Et Martialis in Labullum, (1)

Vis curſu pedibuſque gloriari?
Tigrim VINCE, levemque Paſſerinum.

In hanc rem mire facit Plinii locus: (2) *Circenſes erant, quo genere ſpectaculi ne leviſſime quidem teneor. Nihil novum, nihil varium, nihil quod non ſemel ſpectaſſe ſufficiat. Quo magis miror tot millia virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, inſiſtentes curribus homines videre. Si tamen aut velocitate equorum, aut hominum arte traherentur, eſſet ratio nonnulla. Nunc favent panno; pannum amant: etſi in ipſo curſu, medioque certamine hic color illuc, ille huc transferatur, ſtudium favorque tranſibit; & repente agitatores illos equos, illos quos procul noſcitant, quorum clamitant nomina, relinquent. Tanta gratia, tanta auctoritas in una viliſſima tunica*. Alia his ſimilia nomina inſcripta leguntur cum in annulis, tum in nummis, & in antiquis inſcriptionibus, hoc pacto; AVXILINICA. (3) LEAENINICA. STEFANNICA. PANNONINICA. GARAMANTINICA. GENTINICA; de quibus luculenter diſſerit totius antiquitatis genius Ampliſſimus Senator Philippus Bonarrotius; (4) quae etiam tum hoc modo ſimul iuncta, tum una voce ab altera ſeiuncta leguntur.

Supereſt ut inveſtigemus quam feminam deſignet exſcalpta imago; quae quum ornata ſit Deae cultu, facile crediderim referre eiuſdem aurigae POMPHII, ſive POMPEII coniugem, fretus auctoritate Vaſculorum vitreorum, quae profert, omnique eruditionis copia illuſtrat, & explicat idem Senator Philippus Bonarrotius; in quibus tum auriga, tum eius uxor quaſi divina apotheoſi donati, haec Nymphae ſpecie, ille Genii Fluminis, volitantibus per aëra Geniis, picti obſervantur. Neque id mirum eſſe debet, quum neminem lateat veteres tanti feciſſe victores certaminum, ut Heroas, & Deos arbitrarentur; quos etiam adhuc viventes conſecrarunt, iiſdemque templa, & aras dedicaverunt. (5) Pro cunctis en Horatii teſtimonium: (6)

Sunt

(1) Lib. XII. Epigr. XXXVI.
(2) Lib. IX. Epiſt. 6.
(3) Vide in Praefatione pag. XXVIII. Monumenti a me editi Libertorum, & Servorum Liviae, & Caeſarum.
(4) Tab. XXX. & XXXI. pag. 180. 181. 217.
(5) Vide Lucianum de Gymnaſiis Tom. I. pag. 729. Dionyſium Halicamaſſeum in Arte in fine Protrept. Herodotum Lib. V. Plinium Lib. VII. Cap. XLVII. De his honoribus fuſius Petrus Faber in Agoniſtico Lib. II. Cap. XVI.
(6) Carminum Lib. I. Ode I.

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegiſſe iuvat : metaque fervidis
Evitata rotis , palmaque nobilis
Terrarum dominos euehit ad Deos .

Hanc explicationem libentius praetulerim alteri meae coniecturae , qua etiam adducor ut credam hanc imaginem referre poſſe aliquam feminam e Domo Auguſta , quae Circenſes ediderit ; nam ab his etiam , & a feminis privatis haec ſpectacula dari ſolita docent veteres lapides . (1) Quinquennale ludum teſtamento inſtitutum a Septicia memorat Modeſtinus . (2)

Si quis vero cenſet hunc annulum dono datum fuiſſe puellae tamquam praemium , quod ea certanti ſponſori amico hunc POMPHIVM , ſive POMPEIVM aurigam indicarit victorem futurum in Circenſibus , non repugno : nam quod ſponſiones fierent pro futura equorum , & aurigarum victoria , complurium auctorum teſtimonio probari poteſt , ac praeſertim Homeri , qui inducit contendentes Idomeneum , & Aiacem Oïlei filium , depoſituroſque pignora vel tripodem , vel lebetem , ut Agamemnon victoriae iudex eſſet , niſi Achilles eorum iurgia compeſcuiſſet : (3) ſed his paucis contenti erimus , ut ſpectatores in Circo , aliiſque per Vrbem locis inſaniſſe quodammodo conſtet . Ammianus ita hunc furorem deſcribit : (4) *Videre licet per fora , & compita , & plateas , & conventicula , & circulos multos collectos in ſe converſis iurgiis ferri , aliis aliud , ut ſit , defendentibus ; inter quos hi , qui ad ſatietatem vixerunt , potiores auctoritate longaeva per fanos , & fora clamitant ſaepe , Rempublicam ſtare non poſſe , ſi futura concertatione equus , quem quiſque vindicat , carceribus non exiluerit princeps , & currum flexerit ad metas . Exoptato die equeſtrium ludorum illuceſcente , nondum Solis puro iubare , fuſius omnes feſtinant praecipites , ut velocitate currus ipſos anteeant , certaturi ſuper equorum eventu , diſciſſis votorum ſtudiis .* Quod vero in his ſponſionibus pro Circenſibus puellarum auſpicia , & oracula , ut ita dicam , ſtudioſe perquirerentur , colligi poteſt ex Ovidio : (5)

Non ego nobilium ſedeo ſpectator equorum ;
Cui tamen ipſa faves , vincat ut ille precor .

Et

(1) In Gruteri Theſauro CI. 4. 5. 8. Vide etiam Henr. Noriſium in Cenotaphia Piſana Diſſert. III. Cap. III. pag. 378.
(2) Lib. L. Tit. XII. DD. L. XX.
(3) Iliad. Lib. XXIII. Vide Tzetzem Chil. XIII. Cap. CXLIV.
(4) Lib. XXX.
(5) Lib. III. Amorum Eleg. II. v. 1.

Et ibidem :

O , cuicumque faves , felix agitator equorum .

Et alibi : (1)

Cuius equi veniant , facias ſtudioſe requiras ;
Nec mora quiſquis erit , cui favet illa , fave .

Diſerte etiam id teſtatur Iuvenalis , (2)

——— Spectent iuvenes , quos clamor , & audax
Sponſio , quos cultae iuvat adſediſſe puellae .

Annulos inter pignora ſponſorum enumerat Vlpianus . (3) In antiquis lapidibus ad Circenſes ludos pertinentibus , (4) inter ceteros nominantur MARGARITARII ; qui , ut erudite notat Ioannes Argolus , (5) margaritas , & gemmas in Circo vendebant ſponſoribus , Praetoribus , Conſulibus , Quaeſtoribus , ceteriſque qui ludos edebant ; quibus ipſi poſtea remunerarentur victores aurigas . Solitas tradi margaritas pro munere teſtis eſt Martialis de ludis Arruntii Stellae Patavini : (6)

Omnis habet ſua dona dies , nec linea dives
Ceſſat . ———————————

Alia quoque otioſis in Circo ſpectatoribus vendebantur , umbellae , torques , monilia , inaures , bellaria , aliaque huius generis ; quare facile etiam eſt hunc ipſum annulum vel puellae aurigae POMPHIO faventi , vel eidem aurigae POMPHIO , ſive POMPEIO cum imagine puellae faventis factioni ſuae a ſponſore dono datum fuiſſe .

TA-

(1) Lib. I. de Arte amandi .
(2) Satyra XI. v. 201.
(3) Lib. XVII. D de praeſcript. verb.
(4) Apud Gruterum pagg. CCCXL. 2.
(5) In Notis ad Lib. I. Onuphrii Pauvini de Circenſibus Cap. XV. pag. 35.
(6) Lib. VIII. Epigr. LXXVIII.

TABVLA XII.

HERCVLES INVICTVS.

EXimio sculptori huius Gemmae HERCVLES ipse videtur se repraesentandum exhibuisse, tanto artificio, tantaque veritate expressus est. Inscriptum in ea est antiqua manu Philippi Macedonum regis nomen, hoc pacto ΦΙΛΙΠΠΟΥ; quod suspicioni locum facile praebere potest an ad obsignandum eadem usus fuerit. Hercules non iuvenis, sed multa aetate confectus, oleaginea corona redimitus pro aposphragismate insculptus est, quod Macedonum Reges ab eo genus suum repeterent: (1) quare & in nummis eiusdem Philippi Herculis caput impressum est. Memorant Scythas astu Philippi victos; qui, ut exercitum in fines eorum mitteret, praemissis legatis, quo securiores faceret, se aeneam statuam Herculi vovisse nuntiavit, ad quam in ostio Istri ponendam veniret; pacatum accessum ad religionem Dei petens. (2) Hunc ipsum Deum magnopere coluit etiam Alexander Philippi filius, quem, in mensa posito eius sigillo, hospitem, geniumque suum & tutelam habuit. (3) Quum scriptum sit ΦΙΛΙΠΠΟΥ grandibus litteris, haud puto referre artificis nomen. TAB. XII. n. I.

MILES cernitur armatus, exquisito artificio expressus. Litterae magna ex parte detritae sunt, ac fortasse HANNIBAL praeferunt. Galea eiusdem militis pura est, nulloque ornatu & caelatura insignis. In galeis nomen suum milites inscribere consuevere. Galeam militis Carthaginiensis, quae exstabat olim inter Cimelia Andreinia, nunc Medicea, delineatam dedimus, in qua Punica epigraphe incisa est. (4) Graeci & in clypeis nomen suum sculpsere, confectoque bello arma Diis in eorum templis suspensa dedicarunt. (5) Id etiam in more positum apud Romanos ostendit aerea galea, quae Romae adservatur in Museo Bar- n. II.

 be-

(1) Vide Plutarchum in Alexandri vita. Q. Curtium Lib. IV. Cap. II. 3. Constantinus Porphyrog. Lib. II. de Themat.
(2) Ex Iustino Lib. IX. Cap. III. 10.
(3) Id colligitur ex Martiale Lib. IX. Epigr. 44. ex Statio Silvarum Lib. IV. 6. 32.
(4) Vide in Par. I. Inscr. ant. Etruriae Vrbium Tab. XX. pag. LXXXVI.
(5) Consule Pausaniam in Eliacis prior. Cap. X. Livium Lib. XXXIX. qui Fulvii triumphum describit. Cornelium Tacitum Annal. Lib. II. Machabaeorum Lib. I. Cap. VI. Oppianum de Pisc. Lib. II.

berinorum, in qua haec inſcriptio inciſa eſt: AVR. VICTORINVS MIL. COH XII VRB. ideſt: *Aurelius Victorinus Miles Cohortis Duodecimae Vrbanae*. Non raro etiam in his armis notatum artificis nomen.

TAB. XII. n. III. OLYMPIONICES honoris, ac virtutis cauſa oleaſtro coronatus exhibetur in hac Gemma, quae hac quoque inſcriptione nobilitatur: ΜΝΗϹΘΗ ΟΛΥΜΠΙΑϹ; hoc eſt; *Meminerit Olympias*; vel Μνήσθητι Ολύμπιας; *Memento Olympias*. In perenne ſpectatae virtutis monumentum cenſeo donatam fuiſſe hanc Gemmam victori Olympicorum ab Agonotheta, eamdemque eius imagine, & hac fauſta acclamatione ornatam, quae eum ad alias non modo victorias in Olympicis conſequendas excitaret acueretque, verum etiam adeptae gloriae, & laudis, ac praeteriti laboris recordatione frequenter exhilararet: nam, ut ait Pindarus in Olympicis, (1) celebres victores laudans: ὁ δ᾽ ὄλβιος ὃν φᾶμαι κατέχοντ᾽ ἀγαθαί. *beatus ille eſt, quem fama amplectitur bona*. Victoribus certaminum omnia bona ſpectatores precari ſolebant, iiſdemque optare ut fauſta laetaque omnia evenirent; atque ut ſeram viridemque ſenectam ferrent; neque adveniens tempus felicitatem eorum aboleret; quod ſaepius idem Pindarus docet. Ab Agonothetis praeclare ſuo munere functis Herculi Olympicorum inſtitutori gemmas conſecratas fuiſſe, ac veluti anathemata in eius templis dedicatas, alibi adlata inſigni Gemma adnotavimus. (2)

n. IV. FAVSTINA AVGVSTA Annii Veri filia, L. Aelii ſoror, Antonini Pii Caeſaris uxor, egregio opere ſculpta eſt in hac Gemma, cuſis in eius honorem nummis effigie optime reſpondente; capillis, ut ſolebat, ſupra verticem eleganter in orbem religatis; (3) ſubiectaque epigraphe SYRA; quae eam Syriae quoque Deae nomine poſt mortem in Dearum numerum relatam, diviniſque honoribus conſecratam fuiſſe teſtatur. Eadem quoque, ut docent percuſſa numiſmata, (4) habita eſt Veſta, Ceres, Iſis, Iuno, ac Cybele Magna Deum Mater Salutaris; quae ipſamet Dea Syria eſſe cenſetur; cuius ſacra a Luciano deſcribuntur. (5)

n. V. CAPVT VIRILE, incognitum, cum inſcriptione P. POMPONI ARPOCRES......

TA-

(1) Ode VII. in laudem Diagorae Rhodii pugilis.
(2) In Par. I. Inſcriptionum antiquar. Etruriae Vrbium. Tab. I. pag. XXXXIV.
(3) De hoc feminarum cultu vide Lucianum de Merc. conduct. Tom. I. pag. 352.
(4) Conſule Mediobarbum pag. 207. in Annia Fauſtina.
(5) Tom. III. in Lucio, ſive Aſino pag. 380. & in Dea Syria pag. 748. & ſeqq.

TABVLA XIII.

FORTVNAE COMES VICTORIA.

FORTVNAE individuam comitem VICTORIAM veteres fecere; eamdemque alatam, coronam, & palmam praeferentem: *quod hominum cum fortuna euntium, non curſus eſt, ſed volatus*, ut ait Latinus Pacatus. (1) Ab eadem Victoria omnes fere Dii coronantur, ut vetera numiſmata, & gemmae oſtendunt. Victoriam, ac Fortunam comitem Iovis, Solis Invicti, Apollinis, Lunae, Dianae, & Martis teſtatur vetus inſcriptio apud Reineſium, (2) & Sponium; (3) qui etiam aram adfert, in qua Fortuna *Supera* cum Oſiride coniungitur. His adde Mercurium, ut complures Gemmae iam a nobis editae (4) perſpicue declarant. TAB. XIII. n. I.

LVNA SIVE DIANA pharetra, ac duplici haſta armata expreſſa eſt in hac Gemma annulari, & quidem ancipiti ſpecie maris, & feminae, iuxta illorum opinionem, qui eam utroque ſexu praeditam cenſuere; adeoque vel Deum Lunum, vel Deam Lunam venerati ſunt. Pluviis nubibus tamquam earum regina, ac domina inſiſtit; qui typus plane ſingularis eſt. Luna pluviis praeeſſe credita eſt, non quod earum ſit cauſa, & origo, ſed quia eas indicat, ac portendit: praeſertim ſi eius cornu ab aëre obſcuretur; atque, ut ait Ptolemaeus, ſi fuerit μέλαινα, ὠχρὰ, παχεῖα, χειμώνων, καὶ ὄμβρων δηλωτικὴ· *nigra, pallida, craſſa; indicem hiemis, atque imbrium eſſe* obſervatum eſt. Virgilius imbrium praeſagia, & ſignificationes diſerte in Lunam refundit: (5) Lunae igitur ſubiectae ſunt nubes quod cum ipſas, tum pluvios vapores per aërem diſperſos ita cogat ut in pluviam, roremque vertantur, quare eius filius ros eſſe dicitur. (6) Litteras C. PVB. VIT. ita explico C. PVBLICII VITALIS. n. II.

(1) In Panegyrico Theodoſio Auguſto dicto.
(2) Claſſe I. n. CCXLIV.
(3) In Miſcellaneis eruditae Antiquitatis Sect. III. pag. 72.
(4) In altero iam edito Volumine Muſei Flor. Tab. LXXI. n. IX.
(5) Georgic. Lib. I. v. 427.
Luna revertentes cum primum colligit ignes,
Si nigrum obſcuro comprenderit aëra cornu,
Maxumus agricolis pelagoque parabitur imber.
(6) Plutar. III. Symp. 10. Plin. XVIII. Cap. XXXV.

TAB. XIII. n. III. PERSONA COMICA SENIS expreſſa in annulari Gemma cum inſcriptione Q. VERIANI SVAVIS. Verianiae familiae nulla mentio in editis inſcriptionibus.

n. IV. LYRA CAELESTIS tribus chordis inſtructa, cum ſymbolis aſtronomicis Veneris, & Martis; quibus ad nativitatem ſuam interdum adludebant. Nomen eius viri, qui hanc Gemmam in annulo praeferebat, ita inciſum eſt P. CLOD. POMP. forte *Publii Clodii Pomponiani*. In averſa parte eiuſdem Gemmae ſcalptum caput Apollinis *Laurigeri*.

n. V. MILITIS SIVE DVCIS effigies mihi incognita, cum epigraphe CHILO.

n. VI. IVVENIS imago adhuc ignota, cum his litteris CALISTENI. lege CALLISTHENI.

TABVLA XIIII.

SOL IN MONTIBVS TAVRISCORVM CVLTVS.

TAB. XIIII. n. I. RArissima haec Gemma, antiquo ſane ſed aliquantulum rudi opere ſculpta, exhibet SOLEM, Rhodiorum ſimulacro fere ſimilem, cum capite radiato, & flagello in manu dextera; crebris altiſque montibus inſiſtentem. Qui ſint hi montes, indicat inſcriptio, eadem artificis manu inciſa, TAVRIS duabus litteris praetermiſſis, quarum Gemma vix capax ei viſa eſt, ne deformaretur; nimirum TAVRISCI, qui Alpibus nectuntur in finibus Helvetiorum, & a Strabone deſcribuntur. (1) Hos quoque immanes montes indicat prope ſculpta fera, quae alces eſſe videtur, figura capris conſimili; cuius cubile erat in finitima ſilva Hircinia. Deſcribit hoc animal Iulius Caeſar, (2) aliaque duo ferarum genera pingit, ſcilicet bovem cervo, & urum elephanto adſimiles.

n. II. IVPPITER FVLGERATOR nudus, quaſi feſtinans, ſeque in eum ſtatum componens, ac ſi fulmen dextera elevata iaculaturus

turus

(1) Geographiae Lib. IV. (2) De Bello Gallico Lib. VI. n. 5.

turus esset, ut in nummis Diocletiani; cui etiam convenit epithetum illud apud Pindarum (1) αἰολοβρόντα Διὸς, *velociter fulminantis Iovis*. Ad eius pedes posita est protome Magnae Deum Matris Cybeles, sive Terrae, quasi etiam designetur IVPITER CVSTOS terrarum; & ὁ ὑψόθεν Σκοπός, & Επίσκοπος, *ex alto Custos, & Speculator* aerumnosorum mortalium, uti apud Aeschylum. (2) Cupido apud Lucianum (3) Iovem terrificum carpens, eum ioco ita hortatur ut erga omnes serenum, & amabilem se reddat. Εἰ δ' ἐθέλεις ἐπέραστος εἶναι, μὴ ἐπίσειε τὴν αἰγίδα, μηδὲ τὸν κεραυνὸν φέρε, ἀλλ' ὡς ἥδιστον ποίει σεαυτὸν, ἑκατέρωθε καθειμένος βοστρύχους, τῇ μίτρᾳ τούτους ἀνειλημμένος. πορφυρίδα ἔχε, ὑποδέου χρυσίδας, ὑπ' αὐλῷ καὶ τυμπάνοις εὔρυθμα βαῖνε, καὶ ὄψει ὅτι πλέιους ἀκολουθήσουσί σοι τῶν Διονύσου Μαινάδων. *Quod si vero voles amabilis esse, neque concutias aegidem, neque fulmen geras; sed quam suavissimum te ipsum praebe, utrimque demisso capillo, eoque mitra revincto: vestem sume purpuream, crepidas subliga auratas; ad tibiam, & ad tympana composito gressu incede; & videbis quod plures te sequentur quam Bacchum Maenades*. Quid vero significent duo illa, ut ita dicam, litterarum symplegmata, alii divinabunt.

SERAPIS DEVS OMNIA VINCENS exhibetur in hac elegantissima Gemma; cuius comites sunt hinc atque hinc CANOPI, qui ab aquilis eiusdem Serapidis, (qui, ut diximus, idem est ac Iuppiter) sustinentur, eoque modo consecrantur. Idem quoque Serapis, usitato apud Aegyptios consecrationis symbolo, (4) recto statu parvo navigio impositum est, quod cistam Niloticis viminibus intertextam refert; sinistra manu ad imperandum composita; dextra sceptrum in ima parte incurvum gerens. Epigraphe haec eidem Gemmae incisa, ΠΑΝΤΑ ΝΙΚΑ Θ (nempe ΘΕΟΣ) CΑΡΑΠΙC, *Omnia vincit Deus Serapis*. perspicue ostendit pro amuleto ad mala omnia propulsanda adhibitam fuisse; gestatamque vel in annulo, vel collo appensam, aut brachio circumligatam. Aliam huic consimilem Gemmam, de Serapide differentes, (5) descripsimus, cum hac inscriptione ad fascinum avertendum composita: ΝΙΚΑ Ο ΣΕΡΑΠΙΣ ΤΟΝ ΦΘΟΝΟΝ. *Vincit Serapis invidiam*; nempe *malum*, sive *invidum fatum*, sive etiam *mortem*; nam mors eo nomine interdum appellatur. TAB. XIIII. n. III.

HER-

(1) Od. IX. Olymp. p. 86.
(2) Suppl. v. 288. Vide Ez. Spanhemii Observationes in Hymnum in Iovem v. 81. pag. 34. & in Dianam v. 39. pag. 158.
(3) In Deorum Dialogis Tom. I. pag. 190.
(4) Vide in Vol. I. iam edito Musei Florentini Tab. LIV. n. IV. pag. 123.
(5) Ibidem pag. 118.

TAB. XIIII. n. IV. HERCVLES FONTINALIS, ſive *Fontium repertor*, *& deductor*. Patratum a Moſe prodigium, qui ſitientibus in deſerto Hebraeis eductas e rupe aquas propinavit, in Herculem Ethnici Theologi tranſcripſere; (1) quod quidem non veteres ſolum ſcriptores perſpicue teſtantur, verum etiam haec inſignis Gemma, quae nunc primum in lucem prodit ex Dactyliotheca V. C. Philippi Bonarrotii Senatoris Florentini, multumque lucis adfert huic commento; quare magno in pretio habenda eſt cum propter raritatem, tum propter caelaturae opus: nam, quum ex Achate exſcalpta ſit, refert figura ſua Scarabaeum; quod animal, Solis ſymbolum, ſacrum habuere Aegyptii, & inter Deos coluere, (2) ſuiſque numinibus in pectore gerendum conſecrarunt; (3) atque hinc Graeci, & Romani pro amuleto ad mala averruncanda eo uſi ſunt, brachiiſque circumligare conſuevere, traiecto per foramen utrimque protenſum filo, uti etiam in hac Gemma obſervatur. In inferiori planitie, ſeu Scarabaei ventre, inſcalptus eſt Hercules, eo modo ut in hac ipſa Tabula exhibetur, ſtans; dextera manu clavae innixus, laeva vero fonti e rupe mananti amphoram admovens, & aquam excipiens. Hoc monumento nil inſignius adduci poteſt ad illuſtrandum Pauſaniam, (4) qui memorat apud Troezenios ſe fontem vidiſſe, Herculeum appellatum, cuius aquam ab Hercule inventam iidem populi memorabant. En eius verba: Πρὸ δὲ αὐτῆς ἔστιν Ηρακλήϊος καλουμένη κρήνη, τὸ ὕδωρ (ὡς οἱ Τροιζήνιοι λέγουσιν) ἀνευρόντος Ηρακλέους. Apud Pheneatas effecit Hercules, eodem Pauſania teſte, (5) ut Olbius amnis, quem Arcadum alii Araonium appellant, perenni aqua efflueret; foſsamque per medios Pheneatici agri campos duxit, ut per eam idem amnis laberetur. Fama quoque eſt amnem a Sperchio non longe remotum, cui nomen inditum eſt Dryas, emerſiſſe ad ferendam Herculi opem, ut auctor eſt Herodotus. (6)

Praeterea eumdem Herculem ferunt per Africam iter facientem maxima ſiti laboraſſe, Deique monitu pulſata calce pedis petra prope paludem Tritonida, largifluum aquae fontem manare feciſſe, ſitimque ſuam reſtinxiſſe: cui Herculis operi magis adludere

(1) Id obſervat doctiſſimus Petrus Daniel Huetius in Demonſtrat. Evangelic. Prop. IV. n. XII.
(2) Vide Plinium Lib. XXX. Cap. XI.
(3) In Par. I. Inſcr. ant. Etruriae Vrbium Tab. XVII. plura antiqua monumenta Aegyptiorum protuli, quae id perſpicue oſtendunt.
(4) In Corinthiacis Cap. XXXII.
(5) In Arcadicis Cap. XIV. & XIX. quem conſules; nam rem diſerte, ac perſpicue narrat.
(6) In Polymnia Lib. VII. n. 196.

dere videtur haec Gemma. Audiendus Apollonius Rhodius, qui id diſerte teſtatur: (1)

Ηλυθε δ' ἔν κἀκεῖνος, ἅτε χθόνα πεζὸς ὁδεύων,
Δίψῃ καρχαλέος. παίφασσε δὲ τόνδ' ἀνὰ χῶρον
Ὕδωρ ἐξερέων, τὸ μὲν ἔποθι μέλλεν ἰδέσθαι.
Ην δ' ἄρα τις πέτρη Τριτωνίδος ἐγγύθι λίμνης·
Τὴν ὅγ' ἐπιφρασθείς, ἤ καὶ Θεᾶ αἰνεσίῃσι,
Λὰξ ποδὶ τύψεν ἔνερθε· τὸ δ' ἀθρόον ἔβλυσεν ὕδωρ.

Qui verſus in hunc modum Latine reddi poſſunt:

Hercules hac venit; confecto itinere, magna
Iamque ſiti exarſit, praecepſque per arva ruebat
Dulcem aquam quaerens, licuit quam cernere nuſquam.
At prope tunc quaedam Tritonida petra paludem,
Quam forte invenit, ſive auſpice numine, largos
Calce pedis latices perculſa e fonte recluſit.

His igitur inſignibus ſcriptorum locis quantum lucis adferat haec rariſſima Gemma nemo non videt. Herculem aquarum eductorem, inveſtigatorem, & coactorem eximium fuiſſe docet etiam Plutarchus: (2) quare in vetuſto anaglypho e marmore, quod producit, & erudite illuſtrat Raphaël Fabrettus, (3) Hercules comes, & ſocius Nympharum, Fontium, & Genii Fluminis, ceterorumque Deorum, qui aquis praeſunt adiungitur; ac pro clava, arundinis thallum geſtat, vel ut in nummis Antonini Pii, & Septimii Severi, aquatilem florem, qui forte eſt Iris paluſtris lutea, cuius ingens in uliginoſis locis copia innaſcitur. Quod vero Hercules Nympharum comes ſit, colligi etiam poteſt ex numiſmate Coloniae Thermae in Sicilia, apud eruditiſſimum L. Begerum, (4) quae cum eo ſculptae ſunt; quod ei peragranti littus eius inſulae in gratiam Minervae calidarum aquarum fontes aperuerint, quibus contractam in itinere laſſitudinem adlevaret; cuius fabulae teſtis eſt Diodorus Siculus. (5) Hinc balnearum tutela praeſens habitus idem Hercules,

eiuſque

(1) In Argon. Lib. IV. v. 1441.
(2) Initio opuculi, quod *cum Principibus maxime debeat Philoſophus ſermocinari*.
(3) De Columna Traiani Cap. VI. pag. 174. & Inſcr. ant. Cap. VI. n. 5. pag. 432.
(4) In numiſmat. Siciliae, in Theſauro Brandemburgico. pag. 365. 366.
(5) Lib. IV., & V.

eiusque statua non secus ac in palaestris in iisdem quoque balneis consecrata, ut antiquorum monumentorum anaglypha testantur. Athletis Herculaneis ab Anonymo in Catalogo Olympiadum, quem Scaliger edidit in Eusebianis, notatur aedes data apud Thermas Traianas. (1) Exstat etiam maxime memorandus antiquus lapis a Fabretto productus, (2) quem Herculi Fontium praesidi consecravit P. Clodius Fortunatus Quinquennalis Perpetuus, per insignes iuris Interpretes diremta iam lite inter Fullones, & Magistros Fontanos: ex qua colligimus Fontes, & lavacra in eius tutela fuisse, eorumdemque hominum praesentissimum numen habitum fuisse perinde ac Minerva, & Diana; quibus etiam ab iisdem Magistris Fontium, eorumque Collegio arae dedicatae fuere: (3) quibus etiam addi potest Collegium Lotorum, qui Dianae se devoverunt, eidemque aram marmoream posuere, quam explicat Octavius Falconerius in eruditis Notis ad Inscriptiones Athleticas. (4) Herculem hunc superius FONTINALEM appellavi, ad imitationem Plauti, (5) qui Deum Fontium, *Fontinalem* appellat; non enim hoc cognomen Herculis apud veteres auctores hactenus offendi.

Reliquum nunc est ut de epigraphe aliquid dicamus. Perspicue legitur AIONA, fortassis pro αἰονάω; unica littera deficiente, quod est *aspergo*, *perfundo*; quasi huius amuleti gestator crediderit Herculem aqua se lustrasse, ut ferunt, antequam ab Eumpolpo sacris Cereris initiaretur. (6) Sed aliquid magis reconditum praefert si cum Ω legatur AIΩNA *saeculum*, vel potius AIΩNAΣ *saecula*, unica littera Σ praetermissa; explicatque, ni fallor, impium Valentini haeretici commentum, de quo B. Hieronymus audiendus, qui de portentosis fabulis, & commentis Marcionis, eiusdemque Valentini, & Basilidis differens, hanc Gemmam, quae ex eorum doctrinae regulis forte inscripta est, & superstitiose ad abigenda adversa delata, mirifice ita illustrat. (7) *Ascendant ad montes superbiae eius, & videant multas insanias in medio civitatis, dum unusquisque fingit quod voluerit, & adorat figmentum suum: ut Marcion bonum Deum, & otiosum: ut Valentinus* AIΩNAΣ *triginta, & extremum Christum, quem appellat* ἔκτρωμα, *id est* abortivum: *ut Basilides, qui omnipotentem Deum portentoso nomine appellat*

ABRA-

(1) Vide etiam Octavium Falconerium in Notis ad Inscriptiones Athleticas pag. 16. & 29. edit. Rom. MDCLXVIII.
(2) Inscr. ant. Cap. IV. pag. 278. n. 170.
(3) Ibidem pag. 332. & 333. n. 495. & 496.
(4) Pag. 24. & 25. eiusdem editionis Romanae.
(5) Stich. Act. V. Sc. IV. v. 17.
(6) Ex Apollodoro in Biblioth. Lib. II.
(7) In Amos Cap. III. V. Io. Macharium in Abrax. pag. 11.

ABRAXAS, *& eumdem ſecundum Graecas litteras, & annui curſus numerum dicit in* SOLIS *circulo contineri; quem Ethnici ſub eodem numero aliarum litterarum vocant* MITHRAM, *& Iberae ineptiae in Balſamo Barbeloque mirantur. Nonne haec inſaniae ſunt, & multae inſaniae, unoquoque fingente quod in animum eius inciderit?*

FORTVNA OPIFERA exhibetur alata, galeata, cum ſpica in ſiniſtra, cui navis gubernaculum iunctum eſt, & copiae cornu in dextera. Litterae ſi colligantur haec praeferunt ΔΗμήτηρ ΕΥΕΛΠΙΣ. hoc eſt *Ceres Bonae Spei*: nam ut ait Tibullus; (1) TAB. XIV. n. V.

Spes alit agricolas, Spes ſulcis credit aratris
Semina, quae magno fenore reddat ager.

Fortuna eadem ac Ceres habita eſt ab auctore huius Gemmae; cuius tutelae horrea commendata leguntur in antiquis inſcriptionibus. (2)

T A B V L A XV.

FORTVNA OBSEQVENS.

FORTVNA OBSEQVENS iiſdem cum ſymbolis in hac Gemma ſculpta eſt, nimirum cum patera in dextera, & cornu omnium frugum, ac fructuum copia abundanti in ſiniſtra, ſicuti exhibetur in Imperatorum nummis, ac praeſertim Antonini Pii. (3) Quod obſervatu dignum eſt caput habet turritum non ſecus ac Dea Cybele: nam non tantum rebus quae e terra proveniunt eam praeeſſe crediderunt, (4) verum etiam Vrbibus, Portubus, & Provinciis: hinc Pauſania teſte, (5) Φερέπολις *Civitatum tutrix* vocata a Pindaro. Bupalus ſolers artifex, TAB. XV. n. I.

F Smyr-

(1) Lib. 1. Eleg. VII. v. 3.
(2) Apud Gruterum pag. LXXV. 1.
(3) Vide Mediobarbum in Antonino Pio pag. 200.
(4) Diſerte Horatius Carm. Lib. I. Od. XXXV.
O Diva gratum quae regis Antium
Praeſens. ——————
& paullo poſt:
Te pauper ambit ſollicita prece
Ruris colonus: te dominam aequoris,
Quicumque Bithyna laceſſit
Carpathium pelagus carina.
(5) In Meſſenicis Cap. XXX.

Smyrnaeis ſingens Fortunae ſignum, primus omnium eam fabricavit habentem polum in capite, alteraque manu dives cornu tenentem. (1) Hunc morem tribuendi Deabus polum, ſive apicem & faſtigium, (πόλον appellat Pauſanias; (2) quem aliqui, imperite ut arbitror, *gnomonem horologicum* interpretati ſunt (3)) originem habuiſſe reor ab Aegyptiis, qui poligeros, & tutulatos Deos ſuos fecere, nimirum geſtantes apices, & metas ornatas accipitris & vulturis pinnis, & palmarum foliis, & ſpicis, uti videre eſt in Menſa Iſiaca. (4) Aegyptios myſteriorum, cultuſque falſorum Numinum auctores imitati ſunt Graeci, qui polum Deabus tribuere; meminitque Pauſanias ſimulacri Veneris, (5) & Minervae polo ornatae: (6) eoſque ſecuti etiam ſunt Etruſci noſtri, qui & ipſi tutulum eidem Minervae tribuere, ut oſtendit edita patera e Muſeo DD. Comitum e Gherardeſca; (7) atque id quamplura teſtantur aenea idola, quae capite metam gerunt, & frequenter in Etruriae noſtrae urbibus a foſſoribus inveniuntur. (8) Idem mos ad Romanos pertranſiit, qui & ipſi, teſte Varrone, (9) tutulatos Deos fecere; & Numa Pompilius Sacerdotes, & Flamines tutulo ornari praecepit. (10) Hinc maioris cultus, & dignitatis cauſa comas in tutuli ſpeciem poſtmodum matronae Romanae, ac praeſertim Auguſtae Feminae componere ſolitae; quod quidem Titi Veſpaſiani, & Domitiani aevo maxime in uſu fuit, ut earum icones marmoreae, gemmae, & numiſmata, in quibus repraeſentantur, perſpicue oſtendunt. Feminas etiam habuere ornatrices artiſque in faſtigium atque ſuggeſtum attollendi capillos valde peritas; inter quas Aponia Succeſſa, ORNATRIX A TVTVLO memoratur in vetuſto lapide penes Gruterum. (11)

Litterae in hac Gemma ſculptae, ſicuti & in aliis, quae a nobis adferuntur, Oedipum aliquem deſiderant. In rebus adeo obſcuris ne quidem hariolari fas eſſe puto. Perſaepe hae compendiariae notae praenomen, nomen, & cognomen per principes litteras indicant illius domini, qui eam gemmam in annulo inſertam gerebat: interdum etiam ſacrae, & occultae ſunt.

Pri-

(1) Ex Pauſania ibidem.
(2) Ibidem; & in Achaicis Cap. V.
(3) Vide Franciſcum Iunium De Pictura Veter. in Catalogo Artificum, in BVPALO pag. 40.
(4) Edita, atque illuſtrata a Laurentio Pignorio.
(5) In Chorinthiacis Cap. X.
(6) In Achaicis Cap. V.
(7) Vide in Opere Th. Dempſteri de Etruria Regali Tom. I. Tab. II. pag. 78.
(8) Hos dedi delineatos in II. Par. Inſcr. antiquar. Etruriae Vrbium pag. 129.
(9) Lib. VI. de L. L. ubi exponit Ennii verſum,
Libaque fictores Argeos, & tutulatos.
Vide Gaſparem Bartholinum de inauribus pag. 9.
(10) Fulgentius de priſ. Serm. in voce *Tutuli*.
(11) Pag. DLXXIX. 5.

Primum nudae dumtaxat litterarum notae ſculpi coeperunt; deinde additae Deorum Dearumque imaginibus, & creſcente luxu imaginibus illuſtrium virorum, & amicorum maiorumque, & animalibus ab Aegyptiis inter Deos cultis, ac poſtmodum brutis omnis generis, & piſcibus, ut videbimus. (1) Deinceps ortae Baſilidianorum haereticorum, Valentinianorum, Marcionitarumque ſectae, qui portentoſas Gemmas excogitarunt, quas Ioannes Macarius, & Ioannes Chifletius erudite illuſtrant. De his igitur litteris occultis, illiſque tantum cognitis, qui eas ſculpi in Gemmis fecere, ſatis dictum eſto.

BONVS EVENTVS ſeminudus in hac Gemma ſculptus eſt, in aliis ſaepius nudus. Caput habet modiolo, ſive calatho ornatum, quo beneficum numen oſtenditur: dextera pateram ad libamenta praefert, ſiniſtra copiae cornu, quod Graeci Amaltheae dicunt, frugibus refertum. Exſtat ara apud Gruterum (2) Genio Loci, Fortunae Reduci, Romae Aeternae, & FATO BONO dedicata; quod cum Bono Eventu idem habitum fuiſſe exiſtimo. TAB. XV. *n. II.*

AESCVLAPIVS exhibetur non provectus aetate, pariterque barbatus, & capillatus, ſed tonſo crine, iuvenis, & imberbis; qualem, Pauſania teſte, Phliaſii, & Sicyonii aliique populi coluere. (3) Medicorum more pallio cinctus eſt, (4) dextero humero, ac pectore nudus; neque eodem pallio caput habet opertum, ut cernere eſt in aeneo ſigillo eiuſdem Aeſculapii impuberis, quod adfert Laurentius Pignorius, (5) ſed galericulum gerit; (6) qui ei tribuitur non modo tamquam artis, & ſapientiae inſigne, verum etiam tamquam capitis tutamen adverſus aëris, & Solis iniurias; propterea quod multis ſuſceptis itineribus aegrotorum ſaluti proſpexiſſet. (7) Superne additum eſt aſtrum, Solis ſymbolum: nam putarunt corporum ſalubritatem in terris curſu Solis effici, quem hac de cauſa eius patrem fecere; qui aëri, nempe eidem Aeſculapio, ut commenti ſunt, ex quo provenit bona valetudo, ſalubritatem impertit. (8) Prope eumdem ſalutarem Deum, cuius imaginem aegri pro amuleto geſtabant, *n. III.*

(1) De huiuſmodi annulorum ſculpturis vide Meurſii Exercitat. Critic. Par. II. Cap. IX. & Taubmannum in Plauti Amphitruonem Act. I. Sc. I. v. 266. pag. 40.
(2) MXVII. 7.
(3) In Corinthiacis Cap. X. & XXVII.
(4) Vide Sen. Phil. Bonarrotii Obſervationes in Numiſm. max. mod. e Muſeo Carpineo pag. 125. 126.
(5) In Symbolic. Epiſt. XIII. pag. 47. 48.
(6) Vide Lucianum in Pſeudoman. Tom. I. pag. 582.
(7) Ex eodem Luciano in Dialog. Deorum Tom. I. pag. 199. 200. Vide etiam Cl. Bonarrotium ibidem.
(8) Confer Pauſaniam in Achaicis Cap. XXIII.

bant, (1) posita est arbor trunca, atque arida, nullis ramis, & foliis ornata; quae fortasse eum quoque indicat de caelo a Iove fulmine tactum fuisse. (2)

TAB. XV. n. IV. DIANA EPHESIA capite velato, & turrito multisque mammis insignis, ad cuius latus cervi eidem sacri positi sunt, nihil praefert viris doctis incognitum. (3) Manibus insistere verubus, seu iaculis tricuspidibus aliqui putant, quod venationis Dea sit: ego vero fulcra esse arbitror, eidemque data honoris, & dignitatis causa; nam iisdem fulcris insistentem observo in nummis Iovem, & Iunonem Samiam, quae venationibus minime praesunt; quem morem Graeci ab Aegyptiis accepisse mihi videntur: nam apud eos, ut docet mensa Isiaca, Numina sceptris, & fulcris insistunt. Neque etiam statu ornatuque corporis, & pedum conformatione haec Graecorum simulacra differunt ab Aegyptiorum Deis, ut facile quisque eadem in mensa Isiaca videre potest. Litterae A C T nomen gestatoris annuli designant.

n. V. VOLCANVS galeam fabricans, a Thetide Achilli dono dandam (4) si cui forte videatur sculptus in hac Gemma, non renuam; qui licet barbatus frequenter in nummis (5) marmoreisque anaglyphis, (6) & in gemmis occurrat, (7) capite pileo munito; tamen & imberbis, & iuvenis sculpi potuit, exemplo aliorum Deorum, nempe Iovis, Apollinis, Aesculapii, Martis, Mercurii, & Bacchi, qui imberbes, & barbati exhibentur, nec raro ab auctoribus describuntur. Nam Diis alii iuventutem, alii senectutem dedecere existimarunt. (8) Cassidarii quoque effigiem esse posse, cuius generis artificum fit mentio in hac ex Donianis Inscriptionibus, non ibo inficias. (9)

C. IVLIVS	C. IVLIVS FELIX
ANTIOCHVS	FABER. TIGN
CASSIDARIVS	COLLEGI. DEND

Scriptum est ΝΕΙΚΗΦΟΡΟΥ, pro ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ, nempe cum ΕΙ pro Ι. cuius scripturae sexcenta occurrunt exempla cum in Graecis, tum in Romanis inscriptionibus.

TA-

(1) Vide Iacobum Philippum Tomasinum de Donariis, seu Tabellis votivis Cap. XXXIII.
(2) Ex Luciano in Dial. Deorum Tom. I. pag. 199. 200. & in Concilio Deorum Tom. II. pag. 909.
(3) Vide Claudium Menetrerium de Diana Ephesia.
(4) Vide Pausaniam in Eliacis Prior. Cap. XIX.
(5) In Cassia Gente, & L. Cottae denariis apud Patinum, pag. 43.
(6) In Ara Iovis Tab. IV. Inscriptionum Donianarum a me editarum.
(7) In Gemmis Leonardi Augustinii a Maffeio editis, & illustratis Par. III. Tab. XXVI.
(8) Vide Lucianum in Dea Syria Tom. III. pag. 785.
(9) In Classe VIII. n. 29.

TABVLA XVI.

AMOR IOVIS VICTOR.

AMORIS summam esse potentiam summumque in caelo, in mari, & in terris imperium veteres finxere. (1) Iovem ipsum Deorum omnium potentissimum eidem cedere ostendit haec Gemma elegantissima; nam eius fulmina magno corporis nisu conterit; quo typo descriptio Amoris omnium Deorum domitoris potentissimi, quam exhibet Oppianus, (2) nosque alibi adduximus, (3) mirifice illustratur. TAB. XVI. n. I.

CVPIDINES CANTVM DISCENTES sculpti sunt in hac Gemma elegantissima: quorum unus lyra, sive cithara; alter vero fistula humi sedentes canunt. Discentes ad pedes magistrorum vel stabant, vel sedebant, atque interdum humi iacentes in hunc modum compositi studiis dabant operam, uti etiam antiqua monumenta ostendunt. (4) Maria, ut est in Lucae Evangelio, (5) *παρακαθίσασα παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ιησοῦ, ἤκουε τὸν λόγον αὐτοῦ. ſedens ſecus pedes Ieſu, audiebat verbum illius*: ex quibus verbis discimus Christum Dominum ex praealta sede sermocinatum fuisse, Mariam vero humili in loco constitutam, nimirum ad pedes eius, divina verba audivisse. Nam magistri tum apud Iudaeos, tum apud Graecos, & Romanos e sellis altioribus, vel e cathedris docebant. Spectandus est inter imagines virorum illustrium apud Fulvium Vrsinum (6) M. Mattius Epaphroditus Grammaticus Graecus in cathedra sedens cum volumine habitu docentis; cui adsimilis fuisse videtur statua Orbilii Grammatici Beneventani, quam Suetonius describit. (7) Adnotatum est nomen CAI CALIDI *Caii Calidii*, qui hanc signatoriam gemmam gestabat. Calidia gens patricia fuit, uti ex scriptoribus, qui eius meminerunt, intelligimus. n. II.

SPON-

(1) Vide Lucianum in Dial. Veneris, & Cupidinis Tom. I. pag. 205. & in Demost. Encom. ibid. pag. 893. In hanc rem insigne legitur Epigramma in Anthologia Lib. IV. Cap. XII. n. 63.
(2) Lib. II. Cynegetic. v. 420.
(3) In Par. I. Inscr. ant. Etr. Vrbium Tab. VI. n. II. pag. LVIII.
(4) Vide Sen. Phil. Bonarrotii Observat. in Vasa Vitrea Coemeter. Tab. XVII. Fig. I. pag. III.
(5) Cap. X. v. 39.
(6) Tab. XCI. cum Comment. Io. Fabri pag. 57. Confer Ioann. a Wovver in Tract. de Polymathia.
(7) De Viris Illustr. Grammat. Cap. IX.

TAB. XVI. n. III. SPONSAE ET SPONSI CONNVBIVM. Virum humilioris conditionis, ac fortasse servilis indicat brevis tunica. Additae sunt litterae VT FX. nimirum VTERE FELIX. vel FELICITER. quae adclamatio in nuptiis adhibebatur, (1) ut etiam ex Iuvenale colligi potest: (2)

Signatae tabulae, dictum FELICITER, *ingens*
Coena sedet: gremio iacuit nova nupta mariti.

Domitiano ita adclamatum in amphitheatro, & epulari die, forte reconciliata iam ipsi Domitia, *Domino, & Dominae feliciter*. (3) Munera quoque, & dona mittentes eadem adclamatione utebantur; additum etiam VTERE FELIX MVLTIS ANNIS. quamvis in muneribus exhibendis verba quam paucissima esse debeant, ut ait Lucianus. (4) Notandum est quod uxor ad dexteram viri posita est; quem ritum Romanos ab Etruscis accepisse arbitror: nam in sepulcrorum anaglyphis eorumdem Etruscorum hoc modo ante ostium domus in manum sponsa, & sponsus conveniunt. (5)

n. IV. THALIA Musa Comoediae inventrix comicam larvam praeferens spectanda est. Thyrsum gerit utraque parte capulo, seu cuspide munitum. Epigraphe ΚΑΛΛΙΜΟΡΦΟΣ.

n. V. FAVNVS HIRCVM DVCENS Baccho immolandum, quod vitibus sit infestus, adeoque grata ei sit victima. Virgilium audi: (6)

Frigora non tantum cana concreta pruina,
Aut gravis incumbens scopulis arentibus aestas;
Quantum illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, & admorso signata in stirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Caeditur, & veteres ineunt proscenia ludi.

Caprum ducit pedibus anterioribus; qui unus fuit ex variis modis victimas ad altaria Deorum perducendi. (7)

TA-

(1) V. S. Gregorium Turon. Histor. Lib. VI. Cap. XXX.
(2) Satyr. II v. 119.
(3) Apud Suetonium in eius vita c. 13. in quem locum vide Laevinum Torrentium.
(4) In Cronosolone Tom. II. pag. 497.
(5) In Dempsteriano Opere Tab. XLIV. & Tab. LXXXIV.
(6) Georgic. Lib. II. v. 376.
(7) Vide Saubertum de Sacrificiis veterum Cap. XIX. pag. 453.

TABVLA XVII.

GLADIATOR RVDE DONATVS.

GLadiatores ſaepius ſpectati in amphitheatro quum populo placuiſſent, exauctorati rude donabantur, nec amplius ferro decernere cogebantur. Gladiator ſculptus in hoc Onyche rudem ipſam loro, ſeu baltheo ornatam oſtentat, tantoque honore efferre ſe quodammodo videtur. Arma, quibus antea uſi fuerant gladiatores, ad poſtes templi Herculis figere conſuevere, quod ex Horatio colligitur. (1) TAB. XVII. n. I.

DISCOBOLVS Δισκοβόλος *Diſci iaculator* nudus, (2) multorum certaminum victor, egregio artificio ſculptus, ſpectandus eſt. Diſcus, quem tenet, ſuperficie haud planus eſt, ſed quaſi lentis ſpeciem refert; (3) adeoque quum ſit ex genere graviorum, quos Vlyſſem iaculaſſe, atque omnes ſuperaſſe narrat Homerus, (4) maiorem huius athletae virtutem oſtendit; quam plurimi aeſtimatam fuiſſe oſtendunt inſignia complura praemia, oleae ramus maior cum quo incedit, vas anſatum, ſacer tripus, corona, & ramuſculus, quibus donatus fuit. n. II.

MILES VICTOR dextera oleae ramum, ſiniſtra galeam, & ſcutum ſuſtinet, emeritae virtutis praemia. Tunica brevior, & ſuccincta, calcei, & promiſſa caeſaries non athletam, ſed militem victorem in militari certamine, quod poſt triumphum celebrari ſolebat, perſpicue deſignant. In hac Gemma ſcriptum ΝΤΜΦΕΡΩC, compoſitum ex Nympha & Cupidine nomen; non vero ΝΑΜΦΕΡΩC quod nihil ſignificat, ut perperam exhibent Leonardus Auguſtinius, & Paulus Alexander Maffeius, qui an artificis huius Gemmae ſcalptoris nomen ſit ſubdubitat. (5) n. III.

MIRMILLO PROSTRATVS indicatur genu in quod prolapſus eſt: nam gladiatores, & mirmillones aliique his ſimiles, n. IV.

qui

(1) Lib. I. Epiſt. I. ad Maecenatem
Spectatum ſatis, & donatum iam rude, quaeris
Maecenas iterum antiquo me includere ludo:
Non eadem eſt aetas, non mens. Veianius, armis
Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro.

(2) Adi Petrum Fabrum n. II. in Agoniſtico Lib. II. Cap. IV.

(3) Vide Hieronymum Mercurialem de Arte Gymnaſtica Lib. II. Cap. XII.

(4) Odyſs. Lib. VIII. v. 186.

(5) Gemm. ant. Part. III. Tab. XLVI. pag. 70.

qui in amphitheatris pugnabant miſſum faciebant (ut gladiatoria, & circenſi utar loquendi forma) nempe ſe victos declarabant quum in genua vel ſponte , vel adverſarii virtute coacti concidiſſent . Gladiatoris genicularii in utrumque genu prolapſi imaginem alibi dedimus ex Sardonyche Dactyliothecae Mediceae . (1) E contra victores illi celebrabantur , atque a ſpectatoribus adclamabantur, qui pugnando numquam in genua procubuiſſent ; qua laude ornatur Milo athleta Graeco diſticho in Anthologia . (2) Mirmillones pro gladiis uſos quoque fuiſſe rudibus docet haec Gemma , & Suetonius in Caligula , (3) qui haec de eo ſcribit : *Mirmillonem e ludo rudibus ſecum batuentem , & ſponte proſtratum, confodit ferrea ſica , ac more victorum cum palma diſcurrit* . Imperante M. Antonino Philoſopho , qui a caedibus abhorruit , gladiatoribus interdictum eſt ne acutis gladiis dimicarent . Scutum gerit praegrande , & pileolo aereo pro caſſide caput munitum habere videtur .

TAB. XVII. n. V. AGITATOR EQVO DESVLTORIO VICTOR ex eorum genere , qui a Dionyſio Halicarnaſſenſi παραβάται , & ab Athenienſibus ἀναβάται dicuntur , obſervandus eſt ; cuius pectus loris triplici ordine circumplicatum eſt , caputque levi aenea caſſide protectum ; dextera equum regit habenis , altera flagello impellit . Equus currens ramuſculum ore praefert victoriae indicem . Equi victores publice coronabantur , & honoris cauſa publicis impenſis alebantur . Inſcriptum ΠΙΤΙΚΙΝΝΑC , forſitan nomen equi deſultoris , vel agitatoris . In Circo equos deſultorios agitatos a pueris nobiliſſimis , ſpectante Iulio Caeſare , memorat Suetonius . (4) In nummis Calpurniae gentis ſculpti agitatores equorum deſultorum interdum ſcuticam , interdum ardentem taedam , & tridentem , interdum palmam humero praeferunt , quae quid ſignificent explicat praeſtantiſſimus Ioannes Vaillant . (5)

n. VI. AVLOEDVS PYTHIORVM VICTOR duplices tibias manu gerens accedit ad menſam Apollini Pythio ſacram , in qua poſita ſunt praemia , quae conſecutus eſt in Muſico certamine , nimirum vaſculum cum ramuſculo oleae . Olympiadis quadrageſimae octavae anno tertio Amphictyones inſtituerunt ut non ſolum Poëtae lyra canentes , ſed etiam Auloedi contenderent . (6)

TA-

(1) In Par. I. Inſcr. ant. Etruriae Vrbium Tab. VII. n. 1. pag. LX.
(2) Lib. III. Cap. II. n. II. Vide etiam Lib. II. Cap. I. n. XI.
(3) Cap. XXXII.
(4) In eius vita Cap. 39.
(5) Vide in Gente Calpurnia edit. Amſtel. an. MDCCIII.
(6) Vide Benedict. Averanii Diſſert. III. in Antholog. n. 8.

TABVLA XVIII.

MARS SEV MILES.

MARS, seu MILES pugnae avidus, egregio artificio sculptus est instructus armis, nimirum galea horrifica, hasta, clypeo, brevique gladio; qui post humeros e balteo pendet. BLETE inscriptum nomen, utrum eiusdem militis sit, an viri, qui gemmam annulo inclusam gerebat, incertum est. TAB. XVIII. n. I.

MIMVS ANTIOCHENVS VRSVM SALTANTEM EXHIBENS. Peculiari quadam veste indutus est hic Mimus, seu Magister, qui ursum flagello cogit ad saltandum, ac ludendum, allicitque proposito ante oculos praemio duorum frustulorum carnis, quae tenet sinistra, coriaceis loris circumquaque ligato brachio ne eius unguibus laceretur. Pectus quoque, praeter pudenda, & latera, munitum habet quibusdam fasciis, ut puto, coriaceis, & pedes caligis altioribus reticulato opere consutis contectos. Mansuefiebant ferae ab his domitoribus, vel ad vehendos currus triumphantium, vel agitatorum in circo, vel ad varios ludos edendos in amphitheatro, ut spectatorum, vel risum vel voluptatem excitarent, praesertim quum vestibus curiosis indutae, itemque torquibus, monilibus, bracteis, ac margaritis ornari solerent. (1) Exstat vetus lapis inscriptus in laudem ursi togati, qui pila lusit vitrea, laudante populo maximis clamoribus in thermis Argippae, Titi, atque Traiani. (2) Hi homines, qui omni arte iubebant feras mansuescere, *Mansuetarii* appellantur a Lampridio in vita Elagabali: qui Imperator leones, & leopardos exarmatos in deliciis habuit, ac per eosdem mansuetarios edoctos, quos ad secundam & tertiam mensam iubebat accumbere, ignorantibus cunctis quod exarmati essent, ad pavorem, & risum excitandum. De his plura perraram hanc Gemmam illustrantes Leonardus Augustinius, & Eques Paulus Alexander Maffeius. n. II.

(1) Ex libro Spectaculorum Martialis, qui plura adfert epigrammata. Seneca Epist. XLI. & LXXXV. Philostratus de vita Apollonii Tyanei Lib. V. Cap. XV.
(2) In Gruteri Thesauro p. DCXXXVII. 1.

feius ; (1) qui non pauca ex Ioanne Argolo in Panvinium de Ludis Circenſibus excerpſit . (2)

Nomen huiuſce Magiſtri domitoris urſi expreſſum videtur in Gemma cum hac fauſta adclamatione ΕΥΤΥΧΙ (pro ΕΥΤΥΧΕΙ) ΜΑΡΚΕΛΛΕ : *Felix eſto Marcelle :* additaque eſt circa urſum ſaltantem eadem antiqua artificis manu epigraphe ΕΙΡΗΝΗ ſcilicet *Pax* ; quaſi hoc fuerit urſi geſticulatoris , & ſaltatoris nomen : adeoque colligere poſſumus & his feris manſuefactis nomina a circulatoribus imponi conſueviſſe , quemadmodum & canibus , aſinis , mulis , equis , tigribus , leonibus , elephantibus , ceteriſque quadrupedibus faciebant ; ne quid dicam de gruibus , ciconiis , turturibus , gallis , quae ad ludos edendos erudiebantur.

Eumdem Marcellum Magiſtrum patria Antiochenſem fuiſſe coniicio ex ſculptura averſae partis eiuſdem Gemmae , in qua expreſſa eſt Fortuna cum copiae cornu ſpicis divite , & navis gubernaculo ; atque in ea adclamatio in ſpectaculis edita non ſolum in honorem eiuſdem Mimi manſuetarii , verum etiam in laudem eius patriae legitur ΑΥΞΕΙ ΤΥΧΗ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ . *Creſcit Fortuna Antiochenſium* ; quae quidem nec Auguſtinius , nec Maffeius obſervarunt . Quare ſi quis cenſeat hanc Gemmam Marcello Antiochenſi urſi ludionis Magiſtro peritiſſimo dono datam fuiſſe in praemium eius virtutis , quod in ſpectaculis populo placuiſſet , non repugno .

TAB. XVIII. n. IV. IVVENIS HASTATVS EX EQVO VICTOR proſtrato barbaro milite . Plinius memorat Apellem pinxiſſe Neoptolemum ex equo adverſus Perſas pugnantem . (3) Ad exemplum eiuſdem picturae ſcalptam arbitror hanc Gemmam : nam conſtat lithographos egregia pictorum , & ſculptorum opera in gemmis referre ſtuduiſſe .

n. V. CAIVS ET LVCIVS CAESARES AVGVSTI F. ut docet inſcriptio , ſculpti ſunt antiqua manu in hac Gemma , non velato capite ſacerdotum more , ut in nummis exhibentur , ſed aperto ; tenentque parmas , & haſtas , quibus donati fuere . Supra cernitur lituus , & ſimpuvium , Augurum , & Pontificum inſignia : nam Caius Pontifex , & Conſul deſignatus fuit ; Lucius vero Augur , itemque Conſul deſignatus ; uterque principes Iuventutis appellati . (4)

TA-

(1) Gemm. ant. Par. III. Tab. LXXIV.
(2) Lib. I. Cap. III.
(3) Ex Plinio Lib. XXXV. Cap. X.
(4) Locupletiorem explicationem in hanc Gemmam habes apud Henricum Noriſium virum praeſtantiſſimum in Cenotaphia Piſana Diſſert. II. Cap. V.

TABVLA XVIIII.

COLONIAE MILITVM ROMANORVM EX LEGIONE XI. IN AFRICAM AEGYPTVM ET HISPANIAM DEDVCTAE.

HAnc Gemmam plane rariſſimam, ac nobiliſſimam auguror dono datam Praetori Provinciae, ſive Legato, ſub cuius imperio, & cura fuit Legio XI. Claudia, Pia, Felix, quam indicant ſingulares litterae L XI C P F. Eiuſdem Praetoris, ſive Legati latet nomen in reliquis literis Q. E. T. T. Q. Vrbis aeternae originem ſignificat lupa nutrix Romuli, & Remi conditorum, quae etiam ſymbolum eſt coloniae militum ex eadem Legione deductorum in Africam, (1) quam refert mulieris caput elephanti promuſcide tectum; iuxta quod poſitus ſcorpio maximi aeſtus eiuſdem regionis index: inferius vero Nili imago cernitur, Aegyptum deſignans; e cuius capite eminent cancri brachia: (2) e contra ad Hiſpaniam declarandam ſculptum eſt caput feminae turritum, quam etiam declarat cuniculus. Plura non adferam; quum hanc Gemmam alibi paullo fuſius illuſtraverim. (3) TAB. XVIIII. n. I.

LVPA NVTRIX ROMVLI ET REMI inſigne fuit Romanarum aliquot familiarum, praeſertim Pompeiae, & Terentiae, ut earum nummi indicant; quo etiam non ſolum clypeos, & caſſides ornare conſueverunt, (4) verum etiam annulos, quos gerebant. n. II.

SVS LACTANS SVCVLOS, fauſti bonique ominis gratia, ſculpta eſt in hac Gemma, in qua ſcriptum nomen eius viri, qui annulo inſertam geſtabat, nimirum CAIVS BIBIVS FAVSTVS; e Gente Vibia, quae plebeia fuit. n. III.

(1) Vide Io. Vaillantium in Numiſm. Coloniar.
(2) Adi Fabrettum de Columna Traiani Cap. IX. pag. 504.
(3) In Par. I. Inſcr. ant. Etrur. Vrb. Tab. VI. n. V. pag. LIX.
(4) Vide Virgilium Lib. VIII. v. 630. Iuvenalem Sat. IX. v. 207. Sidonium Apollinarem Carm. V. v. 23.

TABVLA XX.

CAPRI AD CRATEREM COLLVDENTES.

TAB. XX. n. I. PRaeter capros ad craterem colludentes, pedesque anteriores iungere simul studentes, sculpti sunt superne lepores, atque in medio avicula; quae laetitiae praesagia habita sunt. In more etiam receptum apud antiquos nonnulla sculpere in annulis signisque eo modo ut in somniis vidissent. (1) Epigraphe ita legenda videtur; M. IV*lius* STEPHANVS.

n. II. TAVRVS FVRENS caeleste signum denotat. In annulis gestabant veteres caelestia signa, vel boni ominis causa, vel ad horoscopum suum declarandum. (2) Taurus cornupeta signatus in nummis Livineiae gentis ad spectaculum alludit Iulii Caesaris, in quo primus omnium taurum exhibuit. (3) Epigraphe Q. NA. FIRMVS. forte NASONIVS.

n. III. PEGASVS, qui Musis in Helicone fontem aperuit, inter sidera constitutus, insigne fuit gentis Aemiliae, Caeciliae, & Popilliae. Gemma inscripta est nomine STEPHANI; quo an artifex eiusdem Gemmae scalptor declaretur, incertum est; opus plane est elegantissimum.

n. IV. EQVVS INFRENIS sculptus est in hac Gemma, quam Castori sacram fuisse testatur inscriptio.

n. V. CANIS MELITAEVS BALNEARIS. Canum Melitaeorum, quorum meminit Athenaeus, (4) ea laus fuit sequi euntes ad balneum. Servi officium hi implebant, olei guttum, & strigiles ferentes, quibus domini ungerentur destringerenturque, uti haec rarissima, & pulcherrima Gemma ostendit. Canes non solum ad luxum, ad delicias, ad ludos, (5) verum etiam ad voluptatem, & ad aliqua vitae commoda instructos habuisse veteres constat ex pluribus auctorum locis, quae brevitati studens praetermitto. Nostra quoque aetate plures canes famulorum praestare servitia

non

(1) Vide Athenaeum Lib. XII. Cap. XI. 269.
(2) Confer Manilii Astron. Lib. I. & Hyginum Astron. Lib. II. Cap. XXI.
(3) Ex Suetonio in eius vita c. 39. Plinio Lib. VIII. Cap. XLV. Vide Io. Vaillant in nummos gentis Livineiae n. VII.
(4) Deipnosoph. Lib. XII. Cap. III. n. 255.
(5) Vide Pauli Diac. Hist. Lib. II. de cane imp. Iustiniano.

non raro videmus; & nonnulli tanta arte edocti praedicantur ut epiſtolas ad dominos miſſas, atque ab iiſdem ad amicos remiſſas ſine duce ferre conſueverint.

TABVLA XXI.

SERA ET CLAVIS.

CLavium, quibus veteres uſi ſunt in claudendis aperiendiſque oſtiis, arculis, operculis, cellis, quibus etiam univerſam penum, ac domeſticam ſupellectilem obſignarunt, iconiſmi noti ſunt, (1) rarior vero ſerarum figura; quae qualis fuerit ex hac ſingulari Gemma cognoſcenda eſt, in qua cum ſera clavis quoque coniuncta eſt. Hanc Gemmam auguror vel Mercurio, vel Herculi divitiarum cuſtodibus dono datam fuiſſe ab aliqua femina, cuius cognomen VERA inſcriptum in ea legitur: nam utrique Lucrii Dii, & theſauris praeeſſe crediti ſunt; Mercurius quidem apertis lucris, & negotiationi; Hercules vero opertis lucris, ſive theſauris. (2) Quod vero gemmae Diis Deabuſque dedicari ſolerent, alibi me obſervare memini. TAB. XXI. n. I.

MODIVS SPICIS REFERTVS quemadmodum honoris, ac memoriae cauſa ſculptus cernitur in nummis gentis Atiliae, & Valeriae; e quibus Aediles in magna annonae caritate diſtributo frumento, populi Romani gratiam ſibi maxime conciliarunt. (3) Litterae D XI quae in ipſo modio utrimque anſato ſcriptae ſunt, vel undecies diviſum, vel denaria undecim indicant, quanti fortaſſis in ea annonae inopia frumenti modius valebat. n. II.

CRATER SPHINGE ORNATVS cum avicula ſuperne poſita; quae taciturnitatis, & hilaritatis ſymbola ſunt. Siglae Oedipodem deſiderant. n. III.

CON-

(1) Vide Ioan. Kirchmannum de Annulis Cap. X. Laurentium Pignorium de Servis pag. 106. 107. & Differt. Laur. I. Molin de Clavibus Veterum in Sallengriano novo Theſauro Antiquitatum Romanarum Tom. III.

(2) Vide Inſcriptiones antiquas a Io. Bapt. Donio collectas, & a me editas Cl. I. n. 168. Veteres item Scholiaſtas Horatii ad Satyr. VI. Lib. II. Arnobium adver. Gent. Lib. IV. Peri Enarratorem ad ver. XI. Satyr. II.

(3) Vide Ioan. Vaillant. in nummis harum Familiarum, edit. Amſtelaed. an. MDCCIII.

TAB. XXI. n. IV. CONCHA ROSTRATA ad purpuram, qualis a Plinio describitur; (1) cuius verba quum ab hac Gemma mirifice illustrentur, adferenda sunt: *Concharum ad purpuras, & conchylia eadem quidem est materia, sed distat temperamento. Duo sunt genera: Buccinum minor concha ad similitudinem eius buccini, quo sonus editur: unde & causa nomini, rotunditate oris in margine incisa. Alterum purpura vocatur; cuniculatim procurrente rostro & cuniculi latere introrsus tubulato, qua proferatur lingua. Praeterea clavatum est ad turbinem usque aculeis in orbem septenis fere, qui non sunt buccino, sed utrisque orbes totidem quot habent annos.* Graeca epigraphe arcana est, & occulta.

n. V. LOCVSTA inter pisces crustaceos primam obtinens dignitatem (2) in hac Gemma sculpta est, quam Hermes Ponticae puellae amasiae dono dedisse coniicio ex inscriptione ΕΡΜΗΣ ΠΟΝΤΙΚΗ.

TABVLA XXII.

IVNCTAE DEXTERAE FIDEI TESTES.

TAB. XXII. n. I. MOs fuit antiquissimus Grecorum, Etruscorum, Persarum, aliarumque gentium ad fidem, amicitiam, foedusque sanciendum iungere dexteras; nam data dextera sanctissimum fidei pignus iisdem fuit. Ab Etruscis nostris arbitror Romanos didicisse in nuptiis, & foederibus, aut pacis pactionibus, peracto sacrificio, dexteras complicare, nam utriusque moris in antiquis eorumdem Etruscorum monumentis exempla exstant. (3) Iuvenes amatores amicis puellis dona mittere solebant singulorum mensium Kalendis, vel natalitio die, (4) ac praesertim annulos, (5) & earum imagines, (6) unguenta, vascula, (7) atque alia, quae amorem suum fidemque testarentur. Inter haec dona

(1) Lib. IX. Cap. XXXVI.
(2) Vide Pauli Iovii Lib. de Romanis Piscibus Cap. XL.
(3) In opere Th. Dempsteri de Etruria Regali Tom. I. Tab. XLVI. pag. 310. Tab. XLVIII. Tom. II. Tab. LXXXIV. ad finem.
(4) Vide Corippum Lib. II. Plautum in Epid. Act. V. Sc. I. v. 33.
(5) Ex eodem Plauto in Mil. Act. IV. Sc. I. v. 11. Most. Act. I. Sc. III. v. 28.
(6) Idem in Asin. Act. IV. Sc. I. v. 23. Vide Propertium Lib. III. Eleg. VIII. v. 16. Ovid. Lib. II. de Remed. Amoris.
(7) In Trin. Act. II. Sc. I. v. 22.

dona gemmae quoque numerantur, quae vel nomen amantis puellae exprimebant, vel laudabant fausta adclamatione, uti in pluribus hoc modo legitur, ΧΑΙΡΕ ΚΑΛΗ. *Ave pulchra;* ΚΑΛΗ ΨΥΧΗ. *Pulchra anima;* ΚΥΡΙΑ ΧΑΙΡΕ. *Domina ave;* & ΚΥΡΙΕ ΧΑΙΡΕ. *Domine ave*: & in ima parte vasculi crystallini inter Cimelia Philippi Venuti Patricii Cortonensis, Academici Etrusci, omnium antiquitatum studiosissimi, aureis litteris scriptum est VOTIS MEIS CLODIA VIVAS. In hac Gemma iunctis dexteris praeponitur MEROE nomen puellae. In Cameo ex albo & nigro ex Museo Victorio, saepius a me laudato, puellae, & iuvenis iunctae sunt dexterae, ornatque armilla dexterum puellae brachium, cum hac inscriptione ΕΥΤΥΧΩϹ ΟΜΟΝΟΙΑ. *Feliciter concordia*.

Eiusdem generis sunt aliae duae Gemmae, quae in hac Tabula conspiciuntur n. II. & III. nam manus aurem vellens cum inscriptione ΜΝΗΜΟΝΕΥΕ *Memento*, vel ΜΝΗΜΟΝΕΥΕΤΕ *Mementote*, ut in aliis Gemmis legitur, adhortatio est ad amasium, vel amasiam ut mutui amoris recordetur. In adsimili gemma scriptum ΜΝΗΜΟΝ ΕΥΕΤΕ ΚΑΛΗϹ ΤΥΧΗϹ. *Memento bonae fortunae*: nam, ut ait Plinius, (1) *est in aure ima memoriae locus, quem tangentes attestantur*. TAB. XXII. n. II.

In altera Gemma, quae sequitur sculptus est papilio cum delphine, qui amoris symbolum est; papilio vero animae, quo nomine amicae ab amantibus iuvenibus appellantur, ut superius observavimus. Accedit inscriptio ΕΥΤΥΧΙ nimirum ΕΥΤΥΧΕΙ. *Feliciter*; quae adclamatio, vel vox boni ominis frequens erat inter amasios, & in nuptiis repetebatur. Neptunus apud Lucianum (2) Alpheum dum hortatur ut Arethusam amet, atque eius fruatur amore, eadem usitata amatoria formula utitur, εὐτύχει ἐν τῷ ἔρωτι, *feliciter utere amore*. n. III.

Reliquae duae Gemmae, quae subiiciuntur, victorum Athletarum, seu Palaestritarum nomina praeferunt; quorum tutelare numen fuit Mercurius & Hercules; quare cum ramusculo oleae sculptum est eiusdem Mercurii caduceum. n. IV. V.

TA-

(1) Lib. XI. Cap. XLV.

(2) In Dialogis Deorum Marinorum Tom. I. pag. 228.

TABVLA XXIII.

OSIRIS.

TAB. XXIII. n. I. GEmmarum omnium litteratarum, quas produximus, hae plane rariſſimae habendae ſunt, quae ornatae peregrina inſcriptione vel Phoenicia, vel Etruſca, pro coronide huius Claſſis in hac poſtrema Tabula exhibentur. OSIRIS antiquiſſimum Aegyptiorum numen, non abſimilis pluribus eius ſimulacris, quae in Menſa Iſiaca conſpiciuntur, ſculptus eſt in hac Sarda rudi caelatura, ac lineari antiquiſſima, quae apud Aegyptios in uſu fuit, atque ab ipſis originem habuit; quam nos alibi fidelius repraeſentavimus, additis obſervationibus, (1) quas huc rurſum adferre non vacat.

n. II. MARS A VICTORIA CORONATVS cernitur in hac Gemma, rudi item opere ſculpta. Nereidum una, ſive Thetis, ſive Venus Pelagia equo marino per mare vehitur; & fortaſſis aliquem militem, vel exercitus imperatorem terra marique victoria clarum indigitat.

n. III. MINISTRI SALIORVM ANCILIA CONTIS SVSPENSA FERENTES, ut putat Leonardus Auguſtinius, fretus Dionyſii Halicarnaſſei auctoritate, quem vide. (2) In anaglyphis ſepulcrorum veterum Etruſcorum, quae nuper Volaterris reperta ſunt, tecto capite cucullata veſte obſervavi incedere ſervos, qui dominam carpento a mulabus vectam vel praecedunt, vel comitantur; & iuvenem equo vectum: quare cum Etruſcis litteris ipſa Gemmae ſculptura Etruſca convenire videtur.

n. IV. SERPENTES BICORNES OVVM APPREHENDENTES ORE, generationis rerum omnium ſymbolum apud Ethnicos fuere, ut oſtendit Plutarchus; ſculptique eo modo conſpiciuntur in ſimulacris Canopi. Ovum vero mundi figura eſt.

CLAS-

(1) In Par. I. Inſcription. ant. Etruriae Vrbium Tab. XI. pag. LXX.

(2) Editum, & illuſtratum a P. A. Maffeio Gemm. ant. Par. III. Tab. LXXXVI. pag. 158.



C L A S S I S II.

T A B V L A XXIIII.

I V D I C I V M P A R I D I S.



ISTORIAM cum Graecam, tum Romanam, quam tot inſignes ſcriptores litteris commendarunt, diligenter conferre, clareque cognoſcere ex antiquis Gemmarum ſculpturis, quae non oculos modo, verum etiam animum detinent atque oblectant; res profecto eſt, doctorum hominum iudicio, valde utilis, ac periucunda. Hanc laudem ſibi vindicant huius Claſſis Gemmae rariſſimae, praeſtantiumque ſcalptorum opificio nobiliſſimae; quae praeſertim Homerum, magnitudine operum, & fulgore carminum ſine exemplo maximum, egregie illuſtrant, & ab eo mirifice illuſtrantur; atque etiam Heroum, qui in Graecis, & Romanis monumentis celebres ſunt, praeclara geſta perſpicue repraeſentant.

IVDICIVM PARIDIS Priami regis filii, quod tantarum cladium, Troiaeque exſcidii cauſa fuit, exhibent duae Gemmae praeſtanti artificio ſcalptae, ipſaque varietate inter ſe commendabiles. Meminit huiuſce iudicii Homerus, quamquam id per- TAB. XXIIII. n. I. II.

H peram

peram neget Macrobius, quem ſequitur Spondanus, (1) atque ea potiſſimum occaſione meminit, quum rationem reddit cur Iuno, & Minerva Troianis adeo infenſae fuerint, atque ita ait: (2)

Αλλ᾽ ἔχον ὥς σφιν πρῶτον ἀπήχθετο Ἴλιος ἱρὴ,
Καὶ Πρίαμος, καὶ λαὸς, Αλέξανδρου ἕνεκ᾽ ἄτης,
Ος νείκεσσε Θεὰς ὅτε οἱ μέσσαυλον ἵκοντο,
Τὴν δ᾽ ᾔνησ᾽ ἥ οἱ πόρε μαχλοσύνην ἀλεγεινήν.

Verum affecti erant ut ipſis primum odio erat Ilium ſacrum,
Et Priamus, & populus, Alexandri propter iniuriam,
Qui probro affecerat Deas, quando eius ad tugurium venerunt,
Hanc vero laudavit, quae ei praebuit libidinem triſtem.

In prima Gemma ſtat Venus amorum conciliatrix, nudo corpore, non tamen pudoris oblita, recina palla; in altera vero exſcalpta opere anaglypho ſedet coram Alexandro Paride, qui ſeminudus eſt, & ſub arbore ſedet, uti egregie pingitur ab Ovidio; (3) quem Cupido a tergo ſollicitat ut poſthabita Iunone Iovis ſorore, & coniuge, quae ei in omnes Aſiae terras imperium, & Minerva, quae egregium bellatorem, multarumque victoriarum compotem, & omniſcium, ſe auſpice, mox futurum promiſerat, formoſiſſimae omnium Dearum matri ſuae aureum pomum certaminis praemium adiudicet, quae ei in coniugem ſe daturam Helenam Tyndarei filiam, Craecarum feminarum pulcherrimam, nullaque in parte ſibi inferiorem ſpoponderat. Mercurius, Dearum ductor, teſtis adſtat. In eodem elegantiſſimo Cameo, Minerva abiecto clypeo, & circa pectus Meduſa Gorgone, pro haſta clavam gerit; quo armorum genere primum Dii contra Gigantes, ac poſtmodum in bello Heroes uſi ſunt. Ad pedes Paridis ſedentis in ſcopulo montis Idae iacet canis armenti cuſtos.

TAB. XXIIII. n. III. PLATANUS AULIDENSIS inſcalpta eſt antiqua artificis manu in hac rariſſima Gemma; cuius elucidatio ex Homero pendet. (4) Congregatis in Aulide Graecorum navibus, antequam Troiam proficiſcerentur, quum Iovis ſacra facerent ſub platano umbrifera iuxta fontem, terribilis draco ex ima ara pro-

(1) Saturnal. Lib. V. Cap. XV.
(2) Iliad. Lib. XXIV. v. 29.
(3) Heroidum Epiſt. XVI.
(4) Iliad. Lib. II. v. 300.

profiliens platanum complexus, latitantes in ramis octo pullos, matremque circa eos volitantem, ac miserandum in modum clamantem devoravit. Trepidantibus, atque obstupescentibus hoc signo, & ostento Achivis, Calchas vates ferum belli exitum portendi dixit; nimirum novem post annos expugnatum iri Troiam, ac decimo ab ipsis capiendam pronuntiavit. Pro Homeri versibus, qui adferri possent cum interpretatione Ciceronis, (1) ut brevitati consulam, Ovidii tantum carmina exscribam: (2) nam & hanc Gemmam valde illustrant, quum passeris pullos in nido repositos fuisse a matre in eadem platano declarent, quod ex Homerico textu non evincitur; nam in summo ramo foliorum tegmine septi, ac latitantes ab eo describuntur. In hunc igitur modum se se habent:

Heic patrio de more Iovi cum sacra paraffent,
Ut vetus accensis incanduit ignibus ara,
Serpere caeruleum Danai videre draconem
In platanum, coeptis quae stabat proxima sacris.
Nidus erat volucrum bis quattuor arbore summa,
Quas simul & matrem circum sua damna volantem
Corripuit serpens, avidaque recondidit alvo.
Obstupuere omnes: at veri providus augur
Thestorides; Vincemus, ait, gaudete Pelasgi;
Troia cadet: sed erit nostri mora longa laboris,
Atque novem volucres in belli digerit annos.
Ille, ut erat virides amplexus in arbore ramos,
Fit lapis; & servat serpentis imagine saxum.

Peraccurate hoc monstrum explicat Eustathius, quem immortali labore in Latinum sermonem vertit, & eruditissimis adnotationibus illustratum publici iuris facit doctissimus Alexander Politus Florentinus, e Clericis Regularibus Scholarum Piarum, olim in Theologicis, & Dogmaticis institutionibus Praeceptor meus, insigne nostri aevi decus, quem adeat lector si plura cupit.

(1) De Divinatione Lib. II.

(2) Metamorphos. Lib. XII. Fab. I. v. 11.

TABVLA XXV.

ACHILLES VICTOR HECTOREM TRAHENS.

TAB. XXV. n. I.

ACHILLES quum in certamine HECTOREM viciſſet, occiſumque armis ſpoliaſſet, (1) religato eius cadavere ad currum, traiectiſque per talos loris, ad naves Achivorum traxit, & iterum poſt Patrocli exequias circa eius ſepulcrum raptavit, ut canit Homerus. Antequam vero id contingeret raptatum quoque fuiſſe circa moenia Troianorum, quod Euripides, (2) Quintus Smyrnaeus, (3) Hyginus, (4) Virgilius, (5) aliique diſerte memorant, ex eodem Homero colligit vir illuſtris Laurentius Begerus. (6) Id quoque confirmat haec inſignis Gemma, in qua cernitur Achilles bigam non moderans ſolum, verum etiam pugnans in curru, haſtamque intorquens, ad mentem eiuſdem Homeri, apud quem ita Achivos adloquitur: (7)

Εἰ δ' ἄγετ' ἀμφὶ πόλιν σὺν τεύχεσι πειρηθῶμεν,
Οφρὰ κέ τι γνῶμεν Τρώων νόον ὅντιν' ἔχουσιν.
Η καταλείψουσιν πόλιν ἄκρην τοῦδε πέσοντος,
Hὲ μένειν μεμάασι καὶ Εκτορος οὐκ ἔτ' ἔοντος.

Eia agite circa civitatem cum armis experiamur
Vt quid intelligamus Troianorum mentem, quamnam habeant,
An deſerant urbem ſummam, hoc interempto;
An manere velint etiam Hectore non amplius exiſtente.

Iiſdem inſtructus armis ſculptus eſt in Tabula Iliaca, quam primum edidit, & illuſtravit eruditiſſimus Raphaël Fabrettus. At in marmore Aracaelitano nudus eſt, & gladio minatur; ſpectante Hectorem e moenibus cum gemitu Priamo patre, qui ſolus expreſsus eſt ſine Hecuba uxore; quam etiam eum reſpexiſſe, inde-

(1) Ex Homero Iliad. Lib. XXII. v. 5. & v. 131. 147. 272. 326. 336. &c.
(2) In Andromache.
(3) Lib. XIV, v. 132.
(4) Fab. CVI.
(5) Aeneid. Lib. I. 483.
(6) De Bello, & excidio Troiae ex antiq. Tab. Iliaca pag. 33.
(7) Iliad. Lib. XXII. v. 381.

indeque prae doloris magnitudine & comas ſuas evelliſſe, & tenue velamen abieciſſe canit idem Homerus. E contra quum inducit trahentem eius cadaver ad naves Graecorum, flagellum ei tribuit, quo equos impellat: (1)

Αμφοτέρων μετόπισθε ποδῶν τέτρηνε τένοντε
Ες σφυρὸν ἐκ πτέρνης, βοέȣς δ' ἐξῆπτεν ἱμάντας.
Εκ δίφροιο δ' ἔδησε· κάρη δ' ἕλκεσθαι ἔασεν.
Ες δίφρον δ' ἀναβὰς ἀνά τε κλυτὰ τεύχε' ἀείρας,
Μάςιξεν ῥ' ἐλάαν· τὼ δ' ȣ̓κ ἄκοντε πετέσθην.
Τȣ̃ δ' ἦν ἑλκομένοιο κονίσσαλος· ἀμφὶ δὲ χαῖται
Κυάνεαι πίλναντο, κάρη δ' ἅπαν ἐν κονίῃσι
Κεῖτο, πάρος χαρίεν. ——————

Amborum pone pedum perforavit nervos
Ad talum uſque a calcaneo, bovinaque appendit lora,
Ex curru autem ligavit, caputque trahi ſivit:
In currum autem aſcendens, ſupraque inclyta arma elevans
Flagellabat ut impelleret: hi autem non inviti volabant.
Is quum traheretur, oriebatur turbo pulveris, circumque capilli
Flavi terram tangebant, caputque totum in pulveribus
Iacebat, olim gratioſum. ——————

In vetuſtis iam editis ſculpturis obſervandum eſt totum fere corpus Hectoris extra currum agi, quum tamen Homerus ſolum caput eius tractum fuiſſe, & in pulvere iacuiſſe memoret.

ACHILLES A CHIRONE EDOCTVS FIDIBVS CANERE, & noſcere Heroas, qui digni ſint ut praeclara eorum facinora cithara cantentur. (2) Chiron diademate cinctus eſt, & citharae iugum quomodo tendendum, fideſque temperandae ſint egregium adoleſcentem Achillem docet, uti huius elegantiſſimae Gemmae ſcalptura oſtendit. Homerus ita eumdem Achillem deſcribit laxato a curis animo cithara ſe oblectantem, & virorum illuſtrium geſta canentem: (3) TAB. XXV. n. II.

Τὸν δ' εὗρον φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ
Καλῇ, δαιδαλέῃ, ἐπὶ δ' ἀργύρεος ζυγὸς ἦεν,

Τὴν

(1) Iliad. Lib. X. 396.
(2) Ex Statio Lib. I. v. 118.
—————— *Labor unus inermi,*
Noſſe ſalutiferas dubiis animantibus herbas;
Aut monſtrare lyra veteres Heroas alumno.
(3) Iliad. Lib. IX. v. 226.

Τὴν δ' ἄρετ' ἐξ ἐνάρων, πτόλιν Ηετίωνος ὀλέσσας
Τῇ ὅγε θυμὸν ἔτερπεν, ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν.

Hunc autem invenerunt animum oblectantem cithara arguta,
Pulchra, daedalea, ſuperne autem argenteum iugum erat;
Quam ceperat e ſpoliis, urbe Eetionis everſa:
Hac is animum oblectabat, canebat utique praeclara facinora virorum.

Praeter muſicen alias quoque artes Achillem didiciſſe ferunt a Chirone, ac praeſertim Medicinam; (1) nam Chiron fuit artis medendi peritiſſimus: praeterea venandi, currendi, iaculandi, equoque utendi arte eo praeceptore maxime excelluiſſe adfirmant. (2)

TAB. XXV. *n. III.* HECTOR APVD INFEROS MAERENS lugenſque fatum, & iuventutem ſuam exhibetur in hac Gemma perelegantis operis, eodemque habitu corporis uti deſcribitur a Pauſania, (3) nimirum ſedens, & utraque manu laevum genu premens; triſti admodum facie, depoſitis armis, nempe clypeo, cuius inſigne eſt Meduſa horrifica, anguibus crinita, & parazonio, quod e trunco arboris religatum balteo pendet. (4)

TABVLA XXVI.

ACHILLES IN PROELIVM REVERTENS.

TAB. XXVI. *n. I.* PErrarae huius Gemmae ſcalptor ACHILLEM e curru proeliantem ſculpſit, impellente, ut commodo ſuo conſuleret, equos Automedonte auriga eius non ante eum, ſed poſt, conſcenſo eodem curru ut videtur. Adducam Homeri carmina, quae rem omnem perſpicue aperiunt:

Iπ-

(1) Vide Euſtathium in Homeri Iliad. Lib. I. n. LXIX. Florent. edit. pag. 96. 97.

(2) Confer Statium Lib. II. v. 381. & 404. Philoſtratum in Heroicis pag. mihi 704. Plutarchum de Muſica; Athenaeum Deipnoſoph. Lib. XIV. Cap. V. & VI.

(3) In Phocicis Cap. XXXI.

(4) Adſimilem Gemmam adfert L. Begerus, atque ita explicat in deſcripto opere pag. 31.

Ιππȣς δ' Αυτομέδων τε καὶ Αλκιμος ἀμφιέποντες
Ζεύγνυσαν, ἀμφὶ δὲ καλὰ λέπαδν' ἕσαν· ἐν δὲ χαλινȣς
Γαμφηλῇσ' ἔβαλον, κάτα δ' ἡνία τεῖναν ὀπίσσω
Κολλητὸν ποτὶ δίφρον. Ο δ' ἄρ μάστιγα φαεινὴν
Χειρὶ λαβὼν ἀραρυῖαν, ἐφ' ἵπποιϊν ἀνόρȣσεν
Αυτομέδων, ὄπισθεν δὲ κορυσσόμενος βῆ Αχιλλεὺς,
Τεύχεσι παμφαίνων ὥστ' ἠλέκτωρ ὑπερίων.

Equos Automedon & Alcimus curantes
Iunxere, pulchrasque antilenas misere; frena autem in
Ora iniecerunt, & habenas extenderunt retro
Compactum ad currum. At scuticam fulgentem
Manu prehendens habilem, in currum insiluit
Automedon: retro vero elatus impetu inscendit Achilles,
Armis resplendens veluti lucidus Sol.

Achilles hastam e curru proeliaturus intorquet in hostes, quam, quum valde gravis, magna, ac firma esset, nemo alius Achivorum tam bene, ut ipse solebat, tractare poterat. Deest Alcimus, qui certe equos Achillis curavit cum Antomedonte, sed currum cum eo non inscendit.

ACHILLES VVLNERATVS tamdem concidit obiitque, nec fata potuit intervertere, quamvis Thetis eius mater adhuc puerpera, ut eum invulnerabilem efficeret, Stygis aqua totum eius corpus tinxisset praeter talum, quem id faciens apprehendit, qui idcirco mortalis fuisse dicitur. (1) Hectore igitur sepulto, quum idem fortissimus Achilles circa moenia Troianorum vagaretur, ac diceret se solum Troiam expugnasse, Apollo iratus, Alexandrum Parin se simulans, talum eius, ut haec Gemma exhibet, sagitta percussit & occidit, quemadmodum ei Hector praedixerat, Homero teste: (2) TAB. XXVI. n. II.

——————— Σὲ Πάρις, καὶ Φοῖβος Απόλλων
Εσθλὸν ἐόντ' ὀλέσωσιν ἐνὶ σκαιῇσι πύλῃσιν.

——————— *Te Paris, & Phoebus Apollo*
Strenuum existentem perdent in Scaeis portis.

ACHIL-

(1) Vide Statium Achill. Lib. I. v. 269.

(2) Iliad. Lib. XXII. v. 359.

TAB. XXVI. n. III. ACHILLES SEMIANIMIS CADENS. Quum Troiani, incitante Paride, Achillis cadaver rapere vellent, Aiax Telamonius, & Vlyſſes ob eximium amorem, quo virum omnium Graecorum fortiſſimum proſequebantur, egregiamque virtutis aemulationem, manus contra hoſtes conferentes, acerrime illud tutati ſunt, & Troianos vacuos in urbem reverti coegerunt. De Aiace haec canit Q. Smyrnaeus: (1)

——— Οἱ ἐκ ἀμέλησε θεοῖς ἐναλίγκιος Αἴας·
Αλλὰ θοῶς περίβη· πάντας δ᾽ ἄπο δέρατι μακρῷ
Ωθεῖ ἀπὸ νέκυος. ———

——— *Eius curam non poſthabuit Aiax Diis aequiparandus,*
Quin ſubito propugnaret. Omnes igitur longa haſta
Reppulit a cadavere. ———

Haec quoque memorat de Vlyſſe. (2)

Αγχι δὲ Λαέρταο δαίφρονος υἱὸς ἀμύμων
Μάρνατο δυσμενέεσσι, φοβέοντο δέ μιν μέγα λαοὶ.

Et prope Laertae prudentis egregia ſoboles
Cum hoſtibus pugnabat, & valde eum formidabant Troum agmina.

In Tabula Iliaca (3) ſocii milites portant cadaver Achillis, ad quem lugendum in Thetidis obſequium Muſae convenere, ſicuti cecinit Homerus. (4) Neque alium quam ex Achivis aliquem eſſe arbitror militem illum, qui eum ſemianimem ſuſtinet, uti haec praenobilis Gemma exhibet: nam Smyrnaeus, ut vidimus, Aiacem, & Vlyſſem armis eum iam mortuum protexiſſe, & tutatos eſſe, non vero in humeris ſuſtuliſſe narrat. Florentiae iuxta Templum S. Felicitatis, & pontem, qui vetus dicitur, perinſigne opus cum ſtupore ſpectatur, nimirum eodem fere modo e marmore ſculptus Achilles ſemianimis, quem miles ſocius ſuſtinet.

TA-

(1) Lib. III. v. 216.
(2) Ibid. v. 295.
(3) Num. 87.
(4) Odyſſ. Lib. XXIV. v. 60. & Q. Smyrnaeus Lib. III. v. 592.

T A B V L A XXVII.

V L Y S S I S I M A G O.

VLYSSIS magnanimi, ſtrenui, ſapientiſſimique omnium TAB. XXVII. n. I.
Graecorum viri, cuius conſilio capta atque everſa Troia eſt, effigiem egregio opere expreſſam continet haec inſignis Gemma. Chlamyde amictus eſt, quam raſilis gemma ſubnectit; & pileum praefert capite, quem ei addidit primus omnium Nicomachus pictor: (1) quem, quum in uſu eſſet viatoribus, ei praeſertim convenire credidit, quod iter quam longiſſimum terra marique emenſus, mores hominum multorum & urbes vidiſſet. (2)

RHESVS THRACVM REX A DIOMEDE ET VLYSSE INTERFECTVS. Complura obſervatione digna continet hoc rariſſimum opus, quod DIOMEDIS & VLYSSIS exhibet facinus Homeri carminibus celebre, ſed, quod ſciam, e nullis hactenus ſculpturis antiquiſque monumentis in lucem prolatum. Diomedem cernimus comanti galea inſtructum, Vlyſſem vero pileo; quem hac de cauſa, ut cenſeo, ei tribuit artifex, ut facile cum heros ille, tum Diomedes eius ſocius dignoſci poſſet. Nam aliter apud Homerum armati ſpeculatum proficiſcuntur: ſiquidem Diomedi non haſtam, ſed gladium ſcutumque dedit Thraſymedes, & galeam taurinam ſine cono, & criſta, quae καταῖτυξ vocatur, capiti eius impoſuit: Vlyſſi vero Meriones dedit arcum, pharetram, & enſem, caputque eius munivit galea intrinſecus multis loris, extrinſecus vero multis apri candidis dentibus inſtructa: ſed haec omnia, ut mos eſt artificum, ac pictorum, ſcalptor non curavit, contentuſque fuit heroas hoc notiori modo expugnantes exhibere. Vtrique haſtam duplici cuſpide munitam tradidit, quam minaci geſtu tractant, expugnantium more. Inſigne clypei, ſeu ſcuti Diomedis eſt gryphus cervam ſibi ſubiiciens, atque opprimens; Vlyſſis vero, ni fallor, emblema n. IV.

(1) Vide Plinium Lib. XXXV. Cap. X. (2) Odyſſ. Lib. I.

blema eſt ſtrenuus athleta , ut eius ſtatus , motuſque corporis indicat , fama virtutis (ut veriſimile eſt) ea tempeſtate clarus , mihi incognitus . Iacet ad pedes eorum vel ſomno , vel maerore vel vulneribus oppreſſus vir barbatus , gerens capite galeam ab iis quibus Graeci utuntur diverſam ; arma quoque indutus diverſa ; clypeo puro ſe protegens , haſta vero deſideratur . Hunc eſſe RHESVM Thracum regem , a Diomede , & Vlyſſe cum aliis interfectum , ex Homero colligere poſſumus , qui in Libro X. Iliadis (1) rem omnem aperit ; ex quo ea quae in rem noſtram faciunt breviter colligam .

Diomedes aſſumpto ſocio Vlyſſe , iuſſu Agamemnonis regis, optimatumque Achivorum conſenſu , prima quiete noctis clanculum miſſus ad caſtra Troianorum ut exploraret quid ipſi agerent , molirenturque , Doloni occurrerunt , quem Hector ad Achivos ſpeculatum miſerat ; a quo prodente omnia , quum ordinem eorum qui caſtra cuſtodiebant reſciviſſent , cum pluribus aliis tum eumdem Dolonem , tum Rheſum Thraciae regem ſomno oppreſſum interfecerunt . Is ad Troiam venerat laturus auxilia , clauſiſque iam portis tentoria locaverat in littore ; cuius etiam albos equos iidem Diomedes , & Vlyſſes ſubripuere , e quibus Delphico oraculo Troiana fata pendebant , ut ſi Troianum pabulum guſtaſſent , vel e Xantho Troiae fluvio aquam bibiſſent , Troia perire non poſset . (2) Huius cladis primas partes Diomedi tribuit Homerus , quare primo in conſpectu , ut cernitur , ſculptus eſt , atque ad eius pedes Rheſus , vel , ſi aliter placet , Thrax miles maeret .

Ως δὲ λέων μήλοισιν ἀσημάντοισιν ἐπελθὼν
Αἴγεσιν , ἢ ὀΐεσσι κακὰ φρονέων ἐνορέσῃ .
Ως μὲν Θρήϊκας ἄνδρας ἐπῴχετο Τυδέος ὑιός .

Sicut autem leo pecudibus incuſtoditis ſuperveniens ,
Capris vel ovibus mala machinans irruit :
Sic quidem Thraces viros aggrediebatur Tydei filius .

Ex Homero rem hoc pacto pingit Virgilius : (3)

Nec

(1) A verſu 250. paene uſque ad finem .
(2) Dictys Cret. Lib. II. Troiae fata recitantur ab Ovidio Lib. XIII. Metamorph. v. 98. & v. 336. Vide Plautum in Bacchid. Act. IV. Sc. IX. Silium Italicum Lib. XIII. in principio .
(3) Aeneid. Lib. I. v. 469.

Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis
Agnoscit lacrymans ; primo quae prodita somno
Tydides multa vastabat caede cruentus :
Ardentisque avertit equos in castra , priusquam
Pabula gustassent Troiae Xanthumque bibissent .

Egregie quoque Ovidius rem omnem ordine narravit . (1) Euripides Rheso Troianorum auxiliatori , cuius nomine tragoediam inscripsit , eiusque gesta narravit , non scutum , ut hic artifex fecit , sed peltam auro insignem , caelatisque figuris nobilem tribuit : quo interfecto Minervae monitu , fingit Terpsicoren Musarum unam eius matrem apparuisse , atque eius cadaver ad sepulturam sustulisse .

AIAX ET TEVCER TELAMONII E NAVI CONTRA HECTOREM PVGNANTES eo fere modo sculpti sunt in hac perrara Gemma , ut in Tabula Iliaca repraesentantur . (2) Quum Hector Achivorum castra invadere coepisset , exorsus a navi Aiacis Telamonii ; hic contra eum e navi pugnans strenue se defendit , & Caletorem Hectoris patruelem , qui ignem navi suae supponere conabatur , percussit ; cuius interitu Hector valde conquestus , hastam in eumdem Aiacem iaculatus est , sed Lycophronem Mastoris filium interfecit . Aiax , mortuo socio omnium fidelissimo, maiori impetu congressurus cum Hectore, qui e curru pugnabat , Teucrum Telamonium fratrem suum , Telamonis spuriam prolem , sagittandi arte peritissimum , hortatus est ut Hectorem sagittis conficeret , qui , uti in hac Gemma ab diligenti artifice sculptus est , sub fratris clypeo ex more latens , (3) Clytum sagitta interfecit , non vero Hectorem , ut volebat ; nam Iuppiter eum tali gloria privare voluit . Rem omnem ordine narrat Homerus , (4) cuius carmina non invitus adferrem si paucis haec omnia exponerentur .

TAB. XXVII. n. V.

(1) Metamorphos. Lib. XIII. Fab. I. v. 336. Vide Fabrettum in Tabulam Iliadis pag. 345.
(2) Apud Fabrettum n. XXVII. pag. 324. & 325. & apud L. Begerum n. XXIV. pag. 13.
(3) Ex Iliad. Lib. VIII. v. 267.
(4) Lib. XV. v. 436.

TABVLA XXVIII.

DIOMEDES PALLADIO POTITVS ET VLYSSES INTER SE LITIGANTES.

TAB. XXVIII. n. I. II. III.

FAtale Palladis ſimulacrum e caelo delapſum ſumma religione ſervatum in arce urbis Troianae, ſi quando ex ea aſportari, & auferri contingeret, exitium eiuſdem urbis mox futurum portendi ex Apollinis reſponſo cives accepere. (1) Troiana fata quum Helenus Graecis nuntiaſſet, ad Palladium furto auferendum miſſi ſunt DIOMEDES, & VLYSSES, qui conſcenſa arce, occiſiſque cuſtodibus, idem, ut credebatur, aeternum imperii pignus ſuſtulere. Quum vero ad naves reverterentur, Vlyſſes primas ſibi partes in Palladii ereptione ſibi vindicans cum Diomede contendit, eumque occidere voluit; verum Diomedes, ſplendente tunc forte luna, enſis vibrari lucem quum vidiſſet, ſtricto gladio Vlyſſem a caede abſterruit. (2) Exhibet igitur haec Gemma, & aliae duae, quae in hac Tabula expreſſae ſunt, Diomedem quadratae baſi, e qua pendet encarpus, inſidentem; dextera gladium ſtringentem, ſiniſtra vero tenentem Palladium, quod cum ſacrum eſſet, velatis manibus adhuc cruentis caede cuſtodum eius templi, veſte ſua, quae ex humero defluit, tenet, atque Vlyſſi oſtendit; primaſque ſibi partes in eius ſubreptione ſibi quodammodo tribuere videtur: quam quidem gloriam vetuſta e marmore anaglypha, & gemmarum apoſphragiſmata, quae etiam praeſtantium artificum nomina praeferunt, nimirum Dioſcoridis, Felicis, Polycleti, & Solonis, (3) Diomedi, non Vlyſſi tribuunt; quibus addi quoque poteſt ſcriptorum auctoritas, Pauſaniae, (4) Cononis apud Photium, (5) Euripidis, (6) & Q. Smyrnaei, (7) qui Vlyſſem Diomedis dumtaxat

(1) Vide Servium in Virgilium Aeneid. Lib. II. v. 165. Ovid. Metamor. Lib. XIII. v. 339. Plautum in Bacchide Act. IV. Sc. X. v. 29. Callimachum in hymnum in Palladem, in quem confer Spanhemium in Obſervationibus pag. 573. 574.

(2) Ex Conone in Narrationibus apud Photium Cod. 186. Cap. 34. pag. 442. ex rec. Schotti.

(3) Vide apud C. V. Philippum de Stoſch Tab. XXIX. XXXV. LIV. & LXI.

(4) In Atticis Cap. XXII.

(5) Loco ſupracitato.

(6) In Rheſ. v. 501.

(7) Lib. X. v. 350.

taxat comitem faciunt; quamvis Plinius (1) in deſcriptione emblematis cuiuſdam phialae, quam ex argento caelavit Pytheas, primum nominet Vlyſſem, deinde Diomedem; & Ovidius (2) communem cum Tydide laudem in eum derivet, quam etiam Virgilius parem utrique tribuit. (3) Notandum vero eſt ad pedes tum Diomedis, tum Vlyſſis ſtatui cadaver vel ſacerdotis templi Minervae, vel alicuius viri ex his qui arcem cuſtodiebant, ut canit Virgilius:

——————————— *Impius ex quo*
Tydides, ſed enim ſcelerumque inventor Vlyſſes
Fatale aggreſſi ſacrato avellere templo
Palladium, caeſis ſummae cuſtodibus arcis,
Corripuere ſacram effigiem, manibuſque cruentis
Virgineas auſi divae contingere vittas.

Vlyſſes eo geſtu expreſſus litigans cum Diomede, cadaver eius viri, quem occiderat, brachio manuque inferius protenſa indicat, & dextero pede inſiſtit columnae cui ſignum ſuperpoſitum eſt. Inter mea Cimelia exſtat ectypum Gemmae, quae, ni mea me fallit opinio, periit, fuitque olim penes Petrum Andream Andreinium eximium virum, quod omnino ſimile eſt Sardae, quam ex Arundelliana Dactyliotheca Londinenſi profert V. C. Philippus De Stoſch Tab. XXXV. in quo Diomedes cum Vlyſſe ſcalptus eſt, nomenque artificis inſcriptum eſt in extimo latere baſis cui inſidet Diomedes, hoc modo. ΦΗΛΙΞ ΕΠΟΙΕΙ· *Felix faciebat;* quum e contra in Sarda Arundelliana circa inferiorem oram haec inſcriptio inciſa ſit ΚΑΛΠΟΥΡΝΙΟΥ ϹΕΟΥΕΡΟΥ ΦΗΛΙΞ ΕΠΟΙΕΙ· *Calpurnii Severi Felix faciebat;* quare hinc facile argui poteſt quod idem ſcalptor Felix fuerit Calpurnii Severi vel libertus, vel diſcipulus, vel filius, qui duo opera eodem emblemate exornata, ſed diverſa nominis inſcriptione evulgarit.

Magno impetu concurrentes Diomedem, & Vlyſſem ad diripiendum Palladium inſpice in praecedenti Tab. XXVII. n. II. & III. iacente ad pedes utriuſque cadavere alicuius viri e cuſtodibus arcis, vel ſacerdote templi in quo ſacratum illud pignus reconditum fuerat. Falluntur Leonardus Auguſtinius, & Eques Maſ-

(1) Lib. XXXIII. Cap. XII.
(2) Metamorph. Lib. XIII. v. 336. & 350.
(3) Aeneid. Lib. II. v. 165. in quem locum vide enarrationem, quam Servius adfert.

Maſſeius, qui in Gemmis, quas proferunt (1) adſimili apoſphragiſmate inſcalptas, pro Diomede, & Vlyſſe fanaticos Deae Bellonae vel ſacerdotes vel miniſtros expreſſos putant; & ex Vlyſſis manu, qua iacens cadaver indicat, luſtralem aquam effluere, qua ſe ſacerdos ille vel miniſter Bellonarius perfundat plane dormitantes adfirmant.

TABVLA XXIX.

DIOMEDIS ET GLAVCI CONGRESSVS FIDESQVE.

TAB. XXIX. n. I.

Virorum doctorum ſi accedat iudicium, non invitus credam in hoc antiquae caelaturae opere exhiberi congreſſum fidemque DIOMEDIS & GLAVCI, quam exponit Homerus in Libro VI. Iliadis. (2) Galeae praealto cono inſignes ſunt, nec dedecent hos milites; quorum alter natione Graecus eſt, alter vero Lycius. In Tabula Iliaca frequenter cum Graeci tum Troiani milites aliarumque nationum, qui auxilium eis tulere, adſimili galea ornantur. Id etiam ut credam facit haſta, quae iuxta Diomedem humi fixa videtur; quamquam deficiente opere antiquo in inferiori parte, pro certo id adfirmari minime poſſit; facile tamen obſervantibus humi defixa apparet, quum neque Diomedes, neque Glaucus eam ſuſtineat: hanc vero humi defixiſſe Diomedem antequam Glauco fidem daret acciperetque, narrat Homerus.

Igitur Diomedes cum Glauco e curru pugnaturus, egregiam admiratus eius virtutem animique alacritatem, ſcire antea ab eo cupiit quis nam eſſet: qui quum ſe Glaucum Hippolochi filium eſſe dixiſſet, memorato avito hoſpitio pugnam detrectavit; ſtatimque ambo e curru deſilientes, mutatis invicem armis, dataque fide ſe numquam in bello deinceps offenſuros, amicitiam inſtaurarunt; tanti apud antiquos valuit hoſpitii ius, quod etiam inter hoſtes habitum eſt ſanctiſſimum. (3) Huius operis

(1) In Parte II. Gemm. Figur. Tab. LXXVIII. LXXIX. & LXXX.

(2) A verſu 118. ad v. 246.

(3) Vide Bened. Averanii Diſſertat. XII. in Euripidem.

ris artifex mutuo affectu se se complectentes expressit hos heroas; quod officium frequens inter amicos, atque inter eos qui hospites omni benevolentiae, & humanitatis significatione excipiunt. Homerus manus sibi mutuo prehendisse, fidemque dedisse ita testatur:

Τεύχεα δ' ἀλλήλοις ἐπαμείψομεν, ὄφρα καὶ οἵδε
Γνῶσιν ὅτι ξεῖνοι πατρώϊοι εὐχόμεθ' εἶναι.
Ὣς ἄρα φωνήσαντε, καθ' ἵππων ἀΐξαντε
Χεῖράς τ' ἀλλήλων λαβέτην, καὶ πιστώσαντο.

Arma autem inter nos permutemus, ut & hi
Cognoscant nos gloriari paternos esse hospites.
Sic utrique locuti de curru desilientes
Manus mutuo prehenderunt, & fidem dederunt.

In Tabula Iliaca, quam profert Fabrettus numero LVII. (1) duo se invicem amplexantes sculpti sunt; an vero quum sint his fere similes, Diomedes, & Glaucus esse possint, videant viri docti. Fabrettus hos Achillem & Hectorem statuit; quod adfirmare non audet Begerus, (2) quum hi hostiliter concurrisse memorentur; sed repraesentari putat Apollinem humana specie Hectorem periculo subducentem.

NESTOR PHIALA DONATVS AB ACHILLE. Tres cernimus Graecos milites ante columnam stantes, quorum unus vas pulchrum accipere, vel humi ponere videtur. Achilles, ni fallor, hic est, qui constructo rogo in quo corpus Patrocli omnium amicorum suavissimi, iuvenisque praestantissimi, quem Hector occiderat, cremaret, sepulcrum ei erexit, quod columella illa designat, cui etiam, ut in altera Gemma cernitur, sphinges impositae sunt, quae statui solebant in defunctorum monumentis, atque in eius honorem bigarum decursionem, & funebres ludos instituit; ac postmodum distributis ordine praemiis, quae victoribus proposuerat, quintum quod supererat, nimirum phialam Nestori Pyliorum regi dono dedit, quae Patrocli exequiarum perenne esset monimentum. Nestor gravis annis ille est, qui adstat ante ipsum Achillem, cana barba verendus, clypeo, hasta, & gladio

TAB. XXIX. n. II. III.

(1) Pag. 330.

(2) Num. XXXV. pag. 27. & 28.

dio armatus. Homeri carmina adducam, quae has Gemmas mirifice illuſtrant, ſummamque iiſdem conferunt raritatem: (1)

——————— Πέμπτον δ᾽ ὑπελέιπετ᾽ ἄεθλον,
Αμφίθετος φιάλη, τῷ Νέστορι δῶκεν Αχιλλεὺς
Αργείων ἀν᾽ ἀγῶνα φέρων· καὶ ἔειπε παραστάς.
Τῆ νῦν, καί σοι τȣ̃το γέρον κειμήλιον ἔστω
Πατρόκλοιο τάφȣ μνῆμ᾽ ἔμμεναι· ȣ̓ γὰρ ἔτ αὐτὸν
Οψει ἐν Αργείοισι· δίδωμι δέ τοι τό δ᾽ ἄεθλον
Αὔτως· ȣ̓ γαρ̀ πύξ γε μαχήσεαι, ȣ̓δὲ παλαίσεις,
Οὐδὲ τ᾽ ἀκοντιστὺν ἐνδύσεαι ȣ̓δὲ πόδεσσι
Θεύσεαι, ἤδη γαρ̀ χαλεπον̀ κάτα γῆρας ἐπέιγει.

——————— *Quintum vero ſupererat praemium*
Vtrimque ſedem habens phiala, quam Neſtori dedit Achilles
Graecorum pro agone ferens, & dixit adſtans;
Cape nunc, etiam tibi hoc, ſenex; munus eſto
Patrocli ſepulturae monumentum ut ſit; non enim amplius ipſum
Videbis inter Graecos: do autem tibi hoc praemium
Gratis: non enim pugnis certabis, neque luctabis,
Neque iaculandi certamen adgredieris, neque pedibus
Curres, iam enim te gravis ſenectus urget.

Alter vero e Graecis unus, qui adſtat prope Neſtorem, ex his forte eſt, qui in bigarum decurſione certarunt, atque, ut auguror, Antilochus eiuſdem Neſtoris filius, cui praemium ſecundo ordine propoſitum contigit, equa nimirum indomita ſex annos aetatis, uterumque gravem ferens.

TA-

(1) Iliad. Lib. XXIII. verſ. 615.

TABVLA XXX.

PRIAMVS CADAVER HECTORIS AB ACHILLE REDIMENS.

Magnitudine, atque opificio valde insignem fuisse arbitror hunc Iaspidem Chalcedonium anaglypho opere exscalptum, temporis iniuria misere nunc fractum mancumque; in quo ex multis imaginibus, quas praeferebat, sola PRIAMI Regis Troiae superfuit. Maerentium more humi sedet, sinistro brachio caput suffulciens, supplicemque dexteram extendens; eo fere modo ut in Tabula Iliaca n. LXXIII apud Fabrettum sculptus est (1) Achillem obsecrans, ut accipiat pretiosa munera, quae adtulerat, & Hectoris filii sui corpus reddat. In hoc igitur nobilissimo, ut dicimus, Cameo, praeter eumdem Priamum, sculptum fuisse crediderim Achillem in tabernaculo, & cum eo, ut narrat Homerus in Libro XXIIII. adstantes socios Automedontem, & Alcimum. Scalptorem huius operis fateor aliqua licentia usum, quam etiam in plaste Tabulae Iliacae adnotavit Fabrettus, quod Priamum humi sedentem fecerit, id enim non liquet ex Homero; (2) quin imo Priamus negat se umquam sessurum eo in loco ubi filius suus insepultus, & inhonoratus iacet. (3) Sed venia danda est scalptori, qui eo modo supplicem maerentemque Priamum expressit, ut hi solent qui dolore maximo ac vehementissimo perculsi sunt, nempe in terra sedentem; quod etiam a maestissimo Iobo, Davide, ceterisque animi aegritudine oppressis factum fuisse memorant divinae Litterae. TAB. XXX. n. I.

Priamus non secus ac Paris supra exhibitus, Phrygio pileo & amictu indutus est. Eius imaginem ab Actione sculptam ex antiqua Gemma protulit ex sua Dactyliotheca V. C. Philippus De Stosch Tab. III. quam vide.

AENEAS PATRIA PROFVGVS etsi ob egregiam fortitudinem n. II. III.

K

(1) Quem vide pag. 341. & L. Begerum n. XLIV. pag. 36.
(2) Lib. XXIIII. Iliad.
(3) Histor. Var. Lib. III. Cap. XXII. Vide Bened. Averanium Differt. XIV. in Livium.

dinem, ac prudentiam, ceterasque animi dotes, quae divinis laudibus in caelum ab Homero feruntur, (1) valde commendetur, pietate tamen maxime fuit insignis. (2) Nam relictis omnibus, quae sibi ducebat carissima, pretiosis vestibus, auro, gemmis, vasis argenteis, solos Deos Penates, quorum tutelae Troia commendata fuerat, eorumque sacra secum auferre, ANCHISEM patrem senio confectum suis humeris comportare, atque ASCANIUM filium manu trahere maluit; (3) & quidem ardente patria incendio, inter tot pericula, inter medios hostes, intempesta nocte, quam indicat sculpta luna silens, comitante Creusa uxore, quae in his Gemmis expressa non est, visitur tamen in Tabula Iliaca; in qua omnes tecto capite abscedunt. In Medicea Gemma Anchises, sacerdotum more, capite pallio velato Penates Deos in larario inclusos defert; in altera vero ex Museo Victorio, Anchises aperto capite, nudaque superiori parte corporis, non secus ac Iuppiter, Penates Deos cistula reconditos, quae mysticam Bacchi, in Tabula vero Iliaca rotundam aediculam imitatur, asportat; solusque Ascanius pileo Phrygio operto capite incedit, pedum incurvum tenens. Penates Dii primum lignei, postmodum vigente luxu e pretioso metallo fuere. Tibullus: (4)

Tunc melius tenuere fidem, quum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus aede Deus.

Aeneas chlamyde amictus est, quum tamen Virgilius leonis pelle se contexisse memoret: (5)

——— *Latos humeros subiectaque colla*
Veste super, fulvique insternor pelle leonis,
Succedoque oneri. Dextrae se parvus Iulus
Implicuit, sequiturque patrem non passibus aequis:
Pone subit coniux. ———

Ad maiora rerum initia natus Aeneas ducentibus fatis, gentis Romanae universis gentibus imperaturae auctor, & conditor fuit, ut narrat Livius. (6)

TA-

(1) Iliad. Lib XI. v. 58. Lib. XVII. v. 513. Lib. XIX. v. 159.
(2) Virgilius Aeneid. Lib. I. v. 10.
(3) Vide Aelianum Histor. Var. Lib. III. Cap. XXII.
(4) Lib. I. Eleg. XI. v. 19.
(5) Aeneid. Lib. II. v. 721.
(6) Libro I.

TABVLA XXXI.

THEANO ANTENORIS VXOR DOLENS PALLADII TRADITIONEM.

EXimium ſane, ſed, ut alibi dixi, (1) explicatu valde difficile eſt hoc Cameum, quod virorum doctorum declarationem libentius amplexurus in lucem iterum mitto. Si coniecturis indulgere liceat, crederem ab egregio artifice in femina ſedente, quae ſiniſtra Palladium, Palladis videlicet galeatae ſimulacrum tricubitale e caelo lapſum, fatale Ilii pignus tenet, dextera inverſam quaſſamque facem, maeroris indicium, THEANONEM Antenoris uxorem repraeſentatam eſſe; cui, ut Homerus, (2) Steſichorus, & Euphormio tradidere, utpote Palladis ſacerdoti, Palladium cuſtodiendum traditum fuerat. Reſpicit poſt ſe virum ſuum ANTENOREM ſedis ſuae columnae innixum, lacrymantem, ſiniſtra mento ſuppoſita cogitabundum, ac dubium, ut videtur, tradendum ſit nec ne Palladium Diomedi, vel potius Vlyſſi, quem, ut narrat Homerus, hoſpitio apud ſe excepit. (3) Vlyſſes ſedet in ſcopulo, & haſtam tenet, quem, ut diximus, praecipuum Palladii raptorem plures auctores faciunt, eoſque blando vultu intuetur. Viſitur etiam alia figura revincto vitta brevi capillo, veſte pariter e ſiniſtro brachio in tergum reiecto, ventilante; quae, ut auguror, aliquem filium Antenoris refert, vel Glaucum, vel Eurymachum; vel ſi femina ſit, ut nonnullis videtur, Crinonem, quos memorat Pauſanias; (4) eo vultu geſtuque expreſſos quo adverſis caſibus perculſi eſſe ſolent. Conſpicuum eſt in medio Templum, in quo fatale Palladium ſervabatur. TAB. XXXI. n. I.

CASSANDRA AB AIACE VIOLATA. Ilio capto, quae calamitas in urbium direptione matronis virginibuſque accidere ſolet, CASSANDRAM Priami Regis filiam, Phoebi vatem, Mi- n. II. III.

ner-

(1) In Par. I. Inſcriptionum antiquarum Etruriae Vrbium Tab. XIII. pag. LXXV.
(2) Iliad. Lib. VI. Vide Panvinium de Civitat. Rom. pag. mihi 401. alioſque apud Pitiſchum in voce *Palladium*.
(3) Iliad. Lib. III. v. 204.
(4) In Phocicis Cap. XXVII.

nervae ſacerdotem, intactam virginem, AIAX Locrus, Oilei filius, perdite eam amans, temerarius atque ſacrilegus, in templo eiuſdem Deae, & ut aliqui volunt, in genua procumbentem ante eius aram, quod etiam declarat pereximia haec Gemma Medicea, ſtupro violavit. Caſſandra paſſis crinibus, ſublata dextera palma, ſiniſtra aram Palladis tenens, contumeliae ſibi inlatae vindictam a Pallade expoſcere videtur. Aiax vero patrato ſcelere furiis captus fugit. Segmentum Tabulae Iliacae (1) a Templo ab Aiace abreptam docet, idque cum Virgilio: (2)

Ecce trahebatur paſſis Priameïa virgo
Crinibus a templo Caſſandra adytiſque Minervae,
Ad caelum tendens ardentia lumina fruſtra:
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas.

Altera Gemma e Muſeo Victorio, quae exhibet Caſſandram in ara eiuſdem Minervae ſedentem, eiuſque ſimulacrum manibus complectentem, a Palladio eam ab Aiace abreptam adumbrat; neque enim paſſos crines, ſed collectos habet, adeoque adhuc integra eſt, neque vim paſſa: quod colligo ex Pauſania, (3) qui Polygnoti depictas fabulas ad mentem Homeri deſcribens, Caſſandram expreſſam fuiſſe adfirmat humi ſedentem, Palladium complexam. En eius verba: Αἴας δὲ ὁ Οἴλεως ἔχων ἀσπίδα βωμῷ προσέστηκεν ὀμνύμενος ὑπὲρ τοῦ ἐς Κασσάνδραν τολμήματος· ἡ δὲ κάθηταί τε ἡ Κασσάνδρα χαμαὶ, καὶ τὸ ἄγαλμα ἔχει τῆς Αθηνᾶς, ἐίγε δὴ ἀνέτρεψεν ἐκ βάθρων τὸ ξόανον, ὅτε ἀπὸ τῆς ἱκεσίας αὐτὴν ὁ Αἴας ἀφεῖλκε. *Aiax Oïlei cum ſcuto ad aram accedit, iureiurando confirmans facinus, quod in Caſſandram auſurus erat. Sedet ipſa Caſſandra humi, Palladium complexa; quod ipſum e ſuis ſedibus virgo avellit, quum ſupplicem ab ara Aiax abſtraxit.*

TA-

(1) CII & CIII. apud L. Begerum n. LX.
(2) Aeneides Lib. II. v. 403.
(3) In Phocicis Cap. XXVI.

TABVLA XXXII.

AMAZONVM AD TROIAM PVGNA.
PENTHESILEA AB ACHILLE OCCISA.

HEctore caeſo, latura auxilium cum agmine Amazonum Troiam advenit PENTHESILEA regina, Martis, & Otreres filia, quam Achilles adverſum ſe pugnantem interemit, uti exhibet haec Gemma eximii operis. Egregiam eius virtutem ita deſcribit Virgilius: (1)

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Pentheſilea furens, mediiſque in millibus ardet,
Aurea ſubnectens exſertae cingula mammae
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.

Eam in genua lapſam, ac ſauciam altera e primis Amazonum, vel potius e feminis Scythis, earumdem in bello ſociis, nam diverſo ab aliis veſtium cultu amicta eſt, (2) cum eodem Achille fortiter pugnans tutatur. Iuxta Achillem poſita eſt columna cum urna cineraria, ac non procul ſuper muro requieſcit leo, qui Hectoris ſepulcrum extra urbem exſtructum deſignare videtur, cuius inſigne fuit leo ad mentem plaſtae Iliacae Tabulae. (3) & fortaſſis Amazonum pugna eo loci commiſſa eſt cum fortiſſimis Graecorum. Haec omnia tacuit Homerus, quia facta ſunt poſt Hectoris mortem, ſed ea memorant Quintus Smyrnaeus (4) aliique Graeci, & Latini auctores. (5)

(1) Aeneidos Lib. I. v. 490.
(2) Vide Iuſtinum Lib. II. Cap. IV.
(3) Vide apud Fabrettum n. CX. & apud L. Begerum Tab. LXIV. pag. 60. & 61.
(4) Lib. I. v. 669.
(5) Tryphiodorus, Dyctis Lib. III. Iuſtinus Lib. II. Cap. IV.

TABVLA XXXIII.

ACHILLES PENTHESILEAM MORIENTEM SVSTINENS.

TAB. XXXIII. n. II. III. PENTHESILEAM, ut memorant ſcriptores, in bello Troiano adverſus Graecos magna edentem virtutis exempla, quum Achilles lethali vulnere adfeciſſet, cadentem, uti hae Gemmae perelegantes oſtendunt, pietatis ergo ſuſtinuit; detractaque ex eius capite galea, ſummam oris dignitatem venuſtatemque contemplatus, amore captus, vehementer doluit quod eam interemiſſet, nec ſibi matrimonio copulaſſet. Panaenus hoc, ut arbitror, modo eam pinxit, ut memorat Pauſanias. (1) Quintus Smyrnaeus ita delineat: (2)

Αχιλλεὺς ἀλίαστον ἑῷ ἐνετείρετο θυμῷ
Οὕνεκά μιν κατέπεφνε, καὶ ουκ ἄγε δῖαν ἄκοιτιν
Φθίην εἰς εὔπωλον, ἐπεὶ μέγεθός τε καὶ εἶδος
Επλετ' ἀμώμητός τε, καὶ ἀθανάτῃσιν ὁμοίη.

Achilles graviter animo ſuo cruciabatur
Quod eam necaſſet, nec egregiam uxorem duxiſſet
In Phthiam equis fecundam, quum ſtatura, & forma
Inculpabilis eſſet, & Deas aequaret,

Servius in Virgilium (3) eam honorifice ſepultam fuiſſe ab Achille adfirmat; id vero non conſtat: nam Therſitem id ſibi exprobrantem occidit; quare Troiani ſibi redditam prope moenia in edita turri, iuxta Laomedontis oſſa eam non ſine maerore ſepeliere. (4) In altera Gemma ex Dactyliotheca Nobilium Victoriorum iuxta Pentheſileam cernitur equus; quem artifex hatis appoſite adiecit, Amazonas enim equis ſtrenuas appellat Pindarus, (5) ex

(1) In Eliacis Prior. Cap. XI.
(2) Lib. I. v. 669. & ſeqq.
(3) Aeneid. Lib. I. v. 491.
(4) Ex eodem Q. Smyrnaeo Lib. I. v. 797. & ſeqq.
(5) Olymp. Ode VIII. Confer etiam paullo ante citatum Pauſaniam in Phocicis Cap. XXXI.

ex equo etiam viriliter pugnare confueviffe, Arrianus (1) equitum ritu armatas prodiiffe in bellum refert. Philoftratus in Heroicis Myfas feminas laudat quod ex equis pugnarent quemadmodum Amazones. Primas omnium aufas equum confcendere, atque hoftes alienis pedibus infequi, & fugere, primafque armis ferreis corpus texiffe orator Lyfias teftatur. (2) Eadem diferte adfirmat Propertius de Penthefilea; (3)

Aufa ferox ab equo quondam oppugnare fagittis
Moeotis Danaum Penthefilea rates.

Praepofita eft his duabus Gemmis in hac Tabula imago bellatricis Amazonis anaglypho opere antiquiffimo fcalpta ex Iafpide Chalcedonio. Si eam dixeris Myrinnam Amazonum praeftantiffimam, cuius meminit Homerus, (4) vel ex iis, quas inclytus Bellerophontes occidit e primis aliquam, ut idem Homerus cecinit, (5) per me licet. Si cui vero videatur imago fortis Menalippes Amazonum reginae, quam Hercules devicit, & pretium arma eius accepit; vel Hippolyten quam Thefeus in praemium victoriae obtinuit captivam, & ex eadem in matrimonium accepta genuit Hippolytum; (6) vel ipfam Hippolyten, quam Hercules necavit, atque eius balteum abftulit, non adverfabor. Notandi funt huius Amazonis capilli breves, adeoque tonfi. Arma eius funt fecuris, arcus, & pharetra plena fagittis. Securem Amazoniam a Penthefilea inventam fuiffe memorat Plinius; (7) quare eius quoque imago effe poteft. Hippocrates haec de ipfis fcribit: (8) *Ἱππάζονταί τε, καὶ τοξεύουσι, καὶ ἀκοντίζουσι ἀπὸ τῶν ἵππων. Equitantque & arcu utuntur, & ex equo iaculantur.* Hafta praeterea perfaepe ufas Amazonas in bello oftendit erudite Petrus Petitus in Differtatione de Amazonibus. (9)

TAB. XXXIII. n. I.

TA-

(1) Lib. VII. de Alexandri expeditione.
(2) In oratione in aux. Corinth.
(3) Lib. III. Eleg. XI.
(4) Iliad. Lib. II.
(5) Iliad. Lib. VI.
(6) Vide Iuftin. Lib. II. Cap. IV. Apollod. in Biblioth. Lib. I.
(7) Lib. VII. Cap. LVI.
(8) Lib. de Aëre, Locis, Aqu. Vide etiam Lucianum in Dialogo Εἰκόνες, *Imagines*.
(9) Cap. XXIV. Edit. Lutetiae Parif. anno MDCLXXXV.

TABVLA XXXIIII.

BELLEROPHON CHIMAERAM INTERFICIENS.

T. XXXIIII. n. I. BELLEROPHONTEM Glauci filium, PEGASO alato equo vectum, quem Deorum munere acceperat, CHIMAERAM primum occidiſſe, deinde Solymos, & Amazonas debellaſſe narrat Homerus. (1) Cauſae adeo notae ſunt ex eodem Homero, Hygino, (2) Apollodoro, (3) atque ex aliis, ut explicatione minime indigeant. Chimaera, ut fabulantur, Typhonis, & Echidnae filia, ſeu Cheldriae, ut vult Servius, monſtrum fuit horrendum ac ferociſſimum, velox pedibus, robuſtum ac triceps, nempe ore leo, poſtremis partibus draco, media capra; (4) quae omnia quid deſignent fuſius explicat Natalis Comes. (5) Bellerophon in hac Gemma elegantiſſima ſculptus, Chimaeram non ſagittis, ut tradit Pindarus, (6) & Apollodorus, (7) ſed haſta conficit; quae, ut narrat Theopompus, (8) quum plumbum haberet in ſumma parte collocatum, igne colliquefactum infixo mucrone in ore Chimaerae, in eius ventrem defluxit, combuſtiſque inteſtinis eam morte adfecit. Galea armatum habet caput. De eo haec Pindarus cecinit: (9) Αναβὰς δ' εὐθὺς ἐνόπλια χαλκωθεὶς ἔπαιξε. *Statim ac vero equum conſcendit, aeratus luſit ſaltationem enoplion.*

n. II. BELLEROPHON CAELVM CONSCENDENS. Rerum geſtarum gloria, & felicitate nimium elatus Bellerophon, quale plerumque ingenium mortalium eſſe ſolet, in caelum quoque aſcendere ſuper equo Pegaſo voluit; ſed ex eo ab Iove temeritatis vindice praeceps in terram deturbatus, in Aleiam Ciliciae planitiem cecidit, caecuſque factus, quo ad vixit per eam planitiem infeliciter erravit. (10)

PER-

(1) Iliadis Lib. VI.
(2) Fab. LVII.
(3) Biblioth. Lib. II.
(4) Vide Heſiodum in Theog. Servium in Virgilium Aeneid. Lib. VI. v. 288.
(5) Mytholog. Lib. IX. Cap. III. & IV.
(6) Olymp. Ode XIII.
(7) Ibidem.
(8) Rerum Philippicarum.
(9) Ibid. Olymp. Ode XIII.
(10) Vide Pauſaniam in Corinthiacis Cap. IV. & eumdem Natal. Comitem ibidem.

PERSEVS CVM MEDVSAE CAPITE, quod Mercurii auxilio, & Minervae potiſſimum ductu obtruncavit, ut narrat Lucianus, qui rem omnem egregie pingit, (1) hiſque verbis breviter exprimit Apollodorus: (2) Ἀπεστρεμμένος, καὶ βλέπων εἰς ἀσπίδα χαλκῆν, δι' ἧς τὴν εἰκόνα τῆς Γοργόνος ἔβλεπεν: *Averſus, oculis in aereum clypeum defixis, per quem ipſam Gorgonis imaginem reſpiciebat;* quemadmodum prae ceteris Gemma relata numero III. optime refert, quae diligentiſſimi ſcalptoris opus eſt eximium. Minervae ſigillum honoris cauſa praealtae arulae pancarpo coronatae impoſitum eſt: nam haec Dea, ut alibi diximus, Meduſae maxime infenſa, eius manus in hac capitis amputatione direxiſſe fertur. Mercurius eidem Perſeo arma dedit, harpen, talaria pedibus, & galeam, qua inviſibilis aliis omnia pervideret. Reſecto Meduſae capite Pegaſum alatum equum ex eius ſanguine repente proſiluiſſe tradunt. Chlamyde ornatus cernitur, uti etiam exhibetur in patera Etruſca; (3) in qua eadem Minerva adſtante Perſeo haſta confodit Meduſae caput. T. XXXIIII. n. III. IV. V.

TABVLA XXXV.

MINOTAVRVS LABYRINTHO CONCLVSVS.

Singularis eſt haec Gemma e Dactyliotheca Strozia deprompta, magnoque opificio commendabilis, in qua ſculptus eſt MINOTAVRVS tauri concubitu, ut ferunt, a Paſiphae procreatus; quem labyrintho inextricabili multarum viarum ambage concluſum THESEVS adiit, liberatiſque Athenienſibus ſuis ab ſaeviſſimo vectigali, qui quotannis ob Androgei mortem ſeptem liberos ad eum mittebant ut epularetur, occidit, evaſitque feliciter e labyrintho monitu, ac ductu Ariadnae eius ſororis, Minois Cretenſium regis filiae. (4) Hanc fabulam egregio artificio pingit Catullus, quem videre operae pretium eſt. (5) TAB. XXXV. n. I.

(1) In Dialog. Deorum Marin. Tritonis, & Nereidum Tomo II. pag. 61.
(2) Biblioth. Lib. II.
(3) In Opere Dempſteriano Tom. I. Tab. V. pag. 78.
(4) Vide Hygini Fab. XL. XLI. XLII.
(5) In Nuptiis Pelei, & Thetidos v. 73.

TAB. XXXV. n. II. IVPPITER PORPHYRIONEM FVLMINANS. Fuit hic omnium gigantum facile princeps; quare regio diademate coronatus eſt: terribili plane vultu, promiſſo capillo, prolixa barba, anguineis pedibus ad terrorem inſtructus. (1) Is captus Iunonis amore, auſuſque cum ſociis regnantem Iovem e caelo pellere, ab eo ictus eſt fulmine. Sublato ſiniſtro brachio, ac manu Iovi minari videtur, non ſecus ac deſcribitur ab Horatio: (2)

Magnum illa terrorem intulerat Iovi,
Fidens iuventus horrida brachiis,
Fratreſque tendentes opaco
Pelion impoſuiſſe Olympo.
Sed quid Typhoeus, & validus Mimas,
Aut quid minaci PORPHYRION *ſtatu;*
Quid Rhoetus, evulſiſque truncis
Enceladus iaculator audax,
Contra ſonantem Palladis aegida
Poſſent ruentes? ———

n. III. HERCVLES HALCYONEVM INTERIMENS. Hic quoque gigantum omnium, qui vel in Phlegraeis campis, vel ad Pellenen habitabant, atque in caelum ſaxa, & accenſas arbores iaculabantur, fortiſſimus fuit; qui ab Hercule aenea clava, ut haec eximia Gemma docet, vel ut alii volunt, ſagittis percuſſus occubuit. (3) Herculem, Palladis conſilio, ſocium in ea pugna ſibi accerſivit Iuppiter; fuit enim inter Deos rumor gigantum poſſe occidi neminem, niſi mortalium quiſpiam in ſocietatem advocaretur. (4) Audiendus rurſum Horatius: (5)

Nec ſaevos Lapithas, & nimium mero
Hyleum, domitoſque Herculea manu
Telluris iuvenes: unde periculum
Fulgens contremuit domus
Saturni veteris. ———

n. IV. CADMVS INTERFICIENS SERPENTEM Martis filium, Ca-

(1) Vide Apollodorum in Biblioth. Lib. I.
(2) Carmin. Lib. III. Od. IV.
(3) Vide Apollodorum Lib. I. Biblioth.
(4) Hanc fabulam interpretatur Macrobius Saturnal. Lib. I. Cap. XX.
(5) Carm. Lib. II. Ode XII.

Caſtalii fontis cuſtodem, ad quem Europam ſororem quaerens acceſſerat hauſturus aquam, ut inferius indicat hydria proiecta; cuius dentes monſtrante Minerva ſparſit, & aravit, e quibus Sparti enati ſunt. (1) Fabula clariſſime expoſita ab Ovidio (2) fuſiori explicatione non indiget.

ORITHYA RAPTA A BOREA. Hanc fabulam ſculptam quoque fuiſſe in arca Cypſeli memorat Pauſanias. (3) TAB. XXXV. n. V.

T A B V L A XXXVI.

HELICAON PVGIONEM DEDICANS.

HELICAON filius fuit Antenoris, quem vulneratum in nocturna pugna Vlyſſes agnovit, atque e mortis periculo liberavit, ut tradit Leſcheus apud Pauſaniam. (4) Delphis aereum pugionem ſuſpendit, ut memorat Athenaeus, (5) in quo haec carmina inciſa erant: T. XXXVI. n. I.

Θάησαί μ' ἐτεὸν γαρ̀ ἐν Ιλίȣ εὐρεῖ πύργῳ,
  Ην, ὅτε καλλικόμῳ μαρνάμεθ' ἀμφ' Ελένῃ.
Καί μ' Αντηνορίδης ἐφόρει κρείων Ελικάων,
  Νῦν δέ με Λητοΐδου θεῖον ἔχει δάπεδον.

Me ſpecta, quem ſpectarunt lata agmina Troiae,
  Cum pro Helena arderent proelia pulchricoma.
Iam me Antenorides ſtringebat dux Helicaon,
  At nunc Lutoidae divus habet paries.

Hunc igitur heroem ſculptum arbitror in hac Gemma, quae tum raritate, tum praeſtantia operis inſignis eſt. Nam ad columnam accedit galea & haſta armatus, & pugionem ſuſpendit dextera manu. De antiquiſſimo ritu adfigendi, vovendique

 arma

(1) Confer Apollod. Lib. III. Schol. Euripidis ad Phoeniſſ. v. 5.
(2) Metamorph. Lib. III. Fab. I.
(3) In Eliacis Prior. XIX.
(4) In Phocicis Cap. XXVI.
(5) Deipnoſoph. Lib. VI. Cap. IV. n. 117.

arma in templis Deorum, non eſt hic opportunus agendi locus. (1)

T. XXXVI. n. II. NARCISSVS, ut veteres fabulae tradunt, amnis Cephiſi, & Nymphae Liriopes filius, venationi maxime deditus fuit: quod ut oſtenderet huius Gemmae elegantiſſimae artifex, pileum venatorium ſeorſim ſcopulo, ſive antro imminentem ſculpſit, quem venatores humero ſuſpenſum ſaepe gerere ſolebant, ut videmus in antiquis ſculpturis veterum Graecorum, Etruſcorum, ac Romanorum. (2) Hic forma praeſtanti praeditus; ut ferunt, venationis labore, atque aeſtu fatigatus, quum ad fontem deveniſſet aquam bibiturus, adeo captus eſt amore imaginis ſuae, quam in aqua adſpexit, ut quum potiundae talis formae nullam ſibi ſpem reliquam eſſe intelligeret, ſui ipſius deſiderio paulatim contabuit, Deorumque miſericordia in florem ſuo nomine poſtea dictum converſus eſt; quem florem laeva manu praefert, Diis inferis ſacrum, (3) e quorum numero Ceres eſt, quae cernitur impoſita marmoreae columnae, ardentes taedas utraque manu gerens, quibus raptam a Plutone Proſerpinam filiam multo labore quaeſivit. (4) Chlamydem manibus utrimque diductam explicat Narciſſus; quod etiam ab eo factum notat diligenter Ovidius: (5)

Dumque dolet, ſumma veſtem diduxit ab ora,
Nudaque marmoreis percuſſit pectora palmis.

n. III. MELEAGER, quemadmodum a Philoſtrato pingitur, ſcalptus eſt Onychi Mediceo a praeſtanti artifice, egregio animi robore, viribus totoque corpore vigens. Inſigne virtutis ſuae monumentum, reciſum apri caput ſcopulo impoſitum indicat; quem Diana Oeneo eius patri irata, quod eius annua ſacra praeteriiſſet, ad vaſtandum Calydonium agrum immiſerat. (6)

n. IV. CHRYSSIPPVS Pelopis filius ſatis laudatus apud veteres Mythologos ob eximiam formae dignitatem, ſculptus videtur opere anaglypho pulcherrimo huic Iaſpidi Chalcedonio e Medicea Dactyliotheca. Hunc Laius Labdaei filius rapuit Nemeaeis ludis.

(1) Vide Iac. Philippum Thomaſinum de Donariis Cap. XIX. & XX.
(2) Vide Epiſtolam Ez. Spanhemii ad Begerum, & Cl. Senatorem Phil. Bonarrotium in Explicationibus, & Conjecturis additis Dempſteriano Opere §. XXXII. pag. 55.
(3) Plinius Lib. XXI. Cap. XIX.
(4) Vide Pauſaniam in Boeoticis Cap. XXXI. Nat. Comitem Mythol. Lib. IX. Cap. XVI. Calliſtratum in Statuis pag. mihi 860. & Philoſtratum Icon. Lib. I. pag. 764.
(5) Metamorphoſ. Lib. III. Fab. V. & VI.
(6) Ex Hygino Fab. CLXXII. & CLXXIV. & Ovidio Metamorph. Lib. VIII. Fab. IV.

ludis . (1) Dextero brachio innititur Herculis Hermeo ſimulacro. Herculem Nemaeeorum ludorum inſtitutorem fuiſſe nemo eſt qui ignoret. Imaginem quoque inſignis Athletae hanc eſſe poſſe non ibo inficias ; nam Hermea illa ſigilla palaeſtrae indicium ſunt , quam exornabant , atque in ipſis palmae ante oculos certantium inſeri ſolebant .

T A B V L A XXXVII.

IVNO GANYMEDEM DEPERIENS.

OPus longe eximium , atque admirandum Sardonychi bicolori inſignis magnitudinis exſcalptum exhibeo e Mediceo Theſauro , in quo praecellentiſſimi artificis ingenium certat cum opificio , & diligentia qua illud abſolvit . IVNONEM repraeſentari cenſeo GANYMEDI blandientem clam IOVE , qui ſceptro innixus poſt alas aquilae latitat . Ganymedem propter egregiam formam alii ab aquila , alii ab Iove in aquilam converſo raptum putant dum in Ida monte Phrygiae venaretur ; (2) quare cum pelta ceteroque cultu venatorio ſculptus cernitur . Homerus (3) non ab Iove tantum , ſed a Diis raptum adfirmat , ut immortalis factus pocula miniſtraret . Apollonius Rhodius eadem in hunc modum reperit , quae cum hac Gemma conveniunt : (4)

Εὗρε δὲ τόνγ᾽ ἀπάνευθε Διὸς θαλερῇ ἐν ἀλωῇ ,
Οὐκ οἶον μετὰ καὶ Γανυμήδεα τὸν ῥά ποτε Ζεὺς
Οὐρανῷ ἐγκατένασσεν ἐφέστιον ἀθανάτοισι .

Hunc Iovis in molli ſeiunctum repperit aula ,
Non ſolum , ſimul & Ganymedem ; quem tulit olim
Iuppiter in caelum , cum Diis ut tranſigat aevum .

Iu-

(1) Vide Hyginum Fab. LXXXV. & CCLXXI. Aelianum Lib. XIII. Cap. V. & Animal. Lib. VI. Athenaeum Lib. XIII. p. 603. Plutarchum Parall. XXXIII.

(2) Virgilius Aeneid. Lib. III. Hyginus Fab. CCLXXI. & Poët. Aſtron. II. 16. & 29. Ovidius Lib. X. Metamorph. v. 155.

(3) Iliad. Lib. XX.

(4) Lib. III. Argonauticorum .

Iuno , remota Hebe filia ſua a poculorum miniſterio , aegre ferens eius loco ab Iove aſſumptum fuiſſe Ganymedem adoleſcentem tantae ac tam eximiae pulchritudinis , ut invidiam & contumeliam coniugi ſuo faciat , quemadmodum hoc anaglyphum exhibet , omni lenocinio eum amplectitur ; qui contempto miniſterii ſui honore , quod indicat vas ad eius pedes proiectum , ſilentium admoto ori digito indicit , metuens Iovis iram ſi id reſciat . Artifex perbelle lapidis colores in rem ſuam accommodavit ; aquila nativo colore ſubravo inſignis eſt , ſummo artificio expreſſa .

TABVLA XXXVIII.

NEPTVNVS ET AMYMONE.

T. XXXVIII. n. I. NEPTVNVS , plauſum faciente Tritone , quadriiugo curru per mare vectus cernitur , uti a Virgilio deſcribitur , (1) AMYMONEN Danai filiam complexu tenens . Haec dum ſtudioſe in ſilva venaretur , Satyrum iaculo percuſſit , qui ei vim inferre voluit : verum imploratus ab ea Neptunus praeſto adfuit , Satyrum abegit , & ipſe cum ea concubuit , quo conceptu natum tradunt Nauplium . (2) Propertii carmina elegantiſſima adducam : (3)

Sed non Neptunus tanto crudelis amori ,
Neptunus fratri par in amore Iovi .
Teſtis Amymone , latices cum ferret in arvis
Compreſſa , & Lernae pulſa tridente palus .

n. II. LATONA in lectiſternio ſedens mihi videtur haec mulier , quae mammam exerit accedenti puerulo praebitura . Inſidet fulcro lectiſternii avicula , quae forte coturnix eſt , in quam ferunt eam mutatam fuiſſe , quum fugeret Iunonem , atque ita Delum appu-

(1) Aeneid. Lib. V. v. 817.
(2) Vide Hyginum Fab. CLXIX.
(3) Lib. II. Eleg. XVIII. v. 45. Vide etiam Pauſaniam in Corinthiacis Cap. XXXVII.

appuliſſe, ibique latentem ea forma Apollinem, & Dianam pe-
riſſe; quam inſulam poſtea Ortygiam nominavit. (1) Alii non
Latonae, ſed Aſteriae eius ſorori Iovis concubitum fugienti, id
contigiſſe memorant: alii Iovem ſub ſpecie coturnicis Latonam
compreſſiſſe tradunt. (2)

Libentius vero aliam coniecturam amplector, quod non
Latona, ſed Iuno eſſe poſſit, quae Iovis dolo, placata a Palla-
de, eius ſuaſu Herculi lac praebuit; qui quaſi ab ea cognoſci
nolit, mentito habitu ſe ſe offert. (3) Avicula vero, vel vul-
tur, vel accipiter, qui Iunoni ſacri ſunt, eſſe poteſt. (4)

TERRA, ut veteres Mythologi fabulantur, *hominum Divûm-* T.XXXVIII.
que aeterna genitrix (5) ſculpta eſt in hac Gemma pulcherri- *n. III.*
ma; quae, eo prorſus modo uti magna Deûm mater Cybele,
tympanum terrae ſymbolum (6) manu praefert, quod Genius ac-
cipit: ſuperne vero, quod obſervatu dignum eſt, duo Genii eam
coronant. Altera manu perinde ac Fortuna copiae cornu gerit,
quod ex ea omnia proveniant. In marmoreo anaglypho quod
edidi, (7) exſtatque in Muſeo Mediceo, Terra magna parens
ſculpta eſt duos pueros gremio fovens, atque alens. Pauſanias
laudat apud Athenienſes templum Terrae Κουροτρόφου *Nutricis
puerorum*. (8)

CERES velato capite ſellae inſidens, atque haſtam tenens; *n. IV.*
cui puerulus offert vas ſpicis refertum.

PANDORA femina vaferrima, eximiae pulchritudinis, quam *n. V.*
Iovis iuſſu Vulcanus ex luto effinxit, cui Minerva animam de-
dit, ceterique Dii donis omnibus cumularunt, ob idque Pando-
ram nominarunt; (9) ſuperne nuda, ceteris vero corporis partibus
velata, ſedens ſculpta eſt: arculam, ſeu vas aperit & contem-
platur, in quo mala omnia continebantur, quibus humanum ge-
nus peſſumdaret: ita enim Iuppiter ulciſci voluit Promethei fa-
cinus, qui ut mentem inderet confectis a ſe e creta hominibus,
ſacrum e caelo ignem ſubduxit, ut eos redderet Diis longe ſi-
millimos. (10)

TA-

(1) Vide Criticos ad Pindari Pyth. p. 185. Callimachum in hymn. in Apoll. v. 59. & in Delum v. 224. atque in hos Obſervat. Ez. Spanhemii. Nat. Comitem Mythol. Lib. IX. Cap. VI.
(2) Confer citatos auctores.
(3) Pauſanias in Boeoticis Cap. XXV.
(4) Aelianus de Animal. Lib. X. Cap. XXII. & Lib. XII. Cap. IV.
(5) Statius Lib. VIII. Thebaid. v. 304.
(6) Ex Varrone Lib. XVI. Rer. Divinar. apud D. Auguſtinum Lib. VII. de Civit. Dei Cap. XXIV.
(7) In Parte I. Inſcr. ant. Etr. Vrb. Tab. XIV. pag. LXXVI.
(8) In Atticis Cap. XXII.
(9) Ex Hygino Fab. CXLII.
(10) Lege Aeſchylum in Prometheo; Heſiodum Lib. I. Oper. & Dier. Horatium Lib. I. Carm. Ode III.

T A B V L A XXXIX.

T H E S E V S C E N T A V R V M P R O S T E R N E N S.

T. XXXIX. n. I. MEmoriae proditum eſt non Herculem modo , verum etiam THESEVM , qui rerum ab eo geſtarum gloriam paene aequavit , magna animi virtute , ac fortitudine CENTAVROS debellaſſe , atque occidiſſe . Pauſanias narrat Herculem ſagittis , (1) Theſeum ſecuri eos confeciſſe . (2) Artifex praeſtantiſſimus , qui hoc opus multo ingenio , ac diligentia elaboravit , Theſeum iuvenili adhuc aetate florentem exhibere voluit tanto praeditum robore , tantaque animi magnitudine , ut cominus cum Centauro congreſſus , depoſitis armis , clava , clypeo , galea , ſolo virium ſuarum fretus auxilio , eum , licet ſtrenue reluctantem , debellare , ac proſternere valuerit . Centaurus, quod animadverſione dignum eſt , eodem modo uti Theſeus ornatur chlamyde , Heroum more , atque anteriori parte corporis homini omnino ſimilis eſt , cum anterioribus pedibus humanis , poſterioribus vero equinis , ad exemplum eius Centauri , quem Pauſanias deſcribit . (3)

n. II. DAEDALVS , quemadmodum omnes artifices , qui in vetuſtis monumentis repraeſentantur , ſedet , alas ſibi , & filio componens , ut Minois Cretenſium regis ſupplicium intentantis iram effugerent . Fuit hic artis fabricandi , lignaque , & ſimulacra Deorum efformandi peritiſſimus inventor , quam a Minerva didicit . (4) Hanc fabulam inde confictam ferunt , quod Daedalus velis navium , & antennis inventis e Creta in Siciliam quamvelociſſime fugerit , atque e manibus inſequentis Minois avolarit . (5)

n. III. ICARVS Daedali filius , aptatis ſibi a patre alis , quae in hac perrara Gemma utroque brachio vinculis inſertae conſpiciun-

(1) In Eliacis Prior Cap. XIX.
(2) Ibidem Cap. X.
(3) In Eliacis Prior. Cap. XIX.
(4) Vitam Daedali exornavit Franc. Iunius , quem vide in Catalogo Artificum , praecipue Pictorum , Statuariorum , Caelatorum , &c. in v. DAEDALVS pag. 62.
(5) Vide Palaephatum in Fabul. narr. & L. Begerum in Spicileg. XI.

ciuntur quum prae iuvenili quadam exultantia ſublimius evolaret, cera, quae pennas continebat, ſole liquefacta, in mare ſubiectum decidit; pater vero qui demiſſius volabat, & alas inter volandum ſubinde humectabat, incolumis pervenit in Siciliam. Figura iuvenilis flexo genu procumbens ad pedes Icari, eumque, ut videtur, ſupplicans, forſitan TALVM ſororis Daedali filium repraeſentat, qui Daedalo praeceptore ſuo fuit ingenioſior. (1)

IASON ſculptus creditur, draconem ſopiens, ut arietis aureum vellus, fatale regni Colchorum pignus, quod in templo Martis Phrixus conſecraverat, auferre poſſet. (2) T. XXXIX. n. IV.

SPINTHARVS Pentathlos magni nominis forſitan exhibetur; cuius ſtatuam inſigni artificio ſculpſit Telephanes Phocaeus, ut narrat Plinius his verbis: (3) *Artifices, qui compoſitis voluminibus condidere haec, miris laudibus celebrant & Telephanem Phocaeum, ignotum alias, quoniam in Theſſalia, ubi habitaverat, latuerint opera eius: alioqui ſuffragiis ipſorum aequatur Polycleto, Myroni, Pythagorae. Laudant eius Lariſſam, &* SPINTHARVM PENTATHLON, *& Apollinem*. Codex Plinii manuſcriptus, omnium qui Florentiae ſunt, ac fortaſſe alibi, vetuſtiſſimus, qui ſervatur in Bibliotheca Marchionum Riccardiorum, habet SPINARVM PENTATHLVM: verum Celeberrimus Ioannes Harduinus reſtituit SPINTHARVM, (4) proprium viri nomen apud Plutarchum, Pauſaniam, & Suidam; nam vox *Spinarum* nihil ſignificat. Vtramque ego vocem retinerem, nempe *Spintharum*, quae forte excidit librariis, ob ſequentis vocis ſimilitudinem, & pro *Spinarum*, legerem *Spinarium*, qui ſpinas in pedibus infixas ſibi educeret. Ex Pauſania (5) conſtat in Xyſto Elidenſi, in quo athletae ſe ſe exercebant, pullulare ſolitos ſentes, quos olim Hercules Amphitryonis filius ad laborum patientiam quotidianis exercitationibus ſe confirmans, evellere conſuevit: quare probabile eſt eiuſdem Spinthari Pentathli pedes ſpinis in certamine offenſos fuiſſe, ſtatuaque in eius honorem dedicata, ſculpta a Telephane, *Spinarium* cognominatum. Huic Athletae adſimilis eſt antiqua ſtatua ex aere exquiſitiſſimi operis, quae hac noſtra aetate ſpectatur Romae in Capitolio. (6) n. V.

M *TA-*

(1) Ovidius VIII. Metamorph. v. 241. Seneca Epiſt. XC. Hyginus Fab. XXXIX. Vide Servium ad verſ. 143. primi Georgicon.
(2) Ex Hygino Fab. XXIV. XXV. XXVI.
(3) Lib. XXXIV. Cap. VIII.
(4) Tom. II. Hiſtor. Nat. C. Plinii pag. 653. in notis 85.
(5) In Eliacis Prior. Cap. XXIII.
(6) Hanc editam vide Tab. XXIII. inter Statuas, quas collegit Dominicus Roſſius, & Eq. Paulus Alexander Maffeius illuſtravit pag. 23.

TABVLA XL.

DEVS LVNVS.

TAB. XL. n. I. LVNVM DEVM, ſive Lunam marem, magno in honore a Meſopotamiae populis, praeſertim a Carrhenis, atque ab aliis compluribus cultum fuiſſe, ſatis ſuperque cognitum eſt. [1] Aegyptii Deos utroque ſexu praeditos eſſe primi omnium docuere; quam veterem traditionem finitimae gentes poſtea amplexatae ſunt. [2] Luna enaſcens non eius capiti impoſita, ut in pluribus nummiſmatis cernitur, ſed protomae ſubiecta eſt. Pileo, ut aiunt, Phrygio, & chlamyde ornatur. Hanc Gemmam egregii artificis opus mihi dono dedit omnium amicorum ſuaviſſimus V. C. Franciſcus Victorius, Equeſtris Ordinis Divi Stephani, atque aureo annulo a ſe incluſam hac epigraphe decoravit ex hymno, qui Orpheo tribuitur, ΘΗΛΥΣ ΤΕ ΚΑΙ ΑΡΣΗΝ. nimirum *Femina Maſque*.

n. II. SATVRNVS ſenex, non, ut in aliis Gemmis ſeminudus, caput veſte opertum ſuffulciens, ſed toto corpore veſte amictus ſpectatur; laevam manum ſublatam, ſiniſtra falcem tenet; quod agrorum, vinearum, arborumque culturae inventor fuerit. [3]

III. VVLCANVS TAEDIFER in hac rariſſima atque elegantiſſima Gemma pileo ornatus, ac tunica ſuccinctus, non ſecus ac in antiquis numiſmatis, & e marmore anaglyphis ſculpturis exhibetur; [4] quo, ut arbitror, expeditior ſit ad opera fabrilia ſuae artis conficienda: nam Deorum, multorumque Heroum arma fabricaſſe veteres prodidere. Dextera manu, quemadmodum ab Homero deſcribitur, [5] gravem malleum, laeva vero non forcipem, quae ad eius pedes poſita eſt, ſed ardentem taedam, ſeu facem praefert. Taeda ei tribuitur non ea tantum de cauſa, quod ignem, ut aliqui tradunt, invenerit; [6]
quare

(1) Tertullianus in Apologetico. Vide Vaillantium in Nummis Coloniarum.
(2) Athenaeus Lib. XV. Euripides in Troad.
(3) Vide Macrobium Saturnal. Lib. I. Cap. VII. & VIII. & Tibullum Lib. I. Eleg. III.
(4) Vide Fabrettum de Columna Traiani Cap. III. pag. 72. 73. & 82.
(5) Iliadis Lib. Σ.
(6) Tzetzes in Hiſtor. 335. In hymno in laudem Vulcani, qui Orpheo tribuitur.

quare *ignipotens* a Virgilio dicitur ; (1) verum etiam quia in nuptiis adferre facem ſoleret , uti ex Euripide liquet :

Ηφαιστε δᾳδουχεῖς μὲν ἐν γάμοις βροτῶν .

In nuptiis mortalium Vulcane fers faces .

Praeterea Athenis , ut conſtat ex Sophoclis enarratore , in Academia cum Prometheo , & Pallade communis ei ara fuit , atque cum iiſdem inſtituta in honorem eius certamina *Lampadoforia ;* in quibus iuvenes accenſis ab eadem ara lampadibus per urbem decurrebant , ſummoque ſtudio conabantur eaſdem accenſas ad metam deferre : quod ſi cui lampas exſtincta fuiſſet is victoriam ſuccedenti concedebat , atque inhonoratus a curſu ceſſabat. Si quis vero cum accenſa lampade fuiſſet a ſequente ſuperatus , lege certaminum tenebatur ſequenti accenſam lampadem tradere ; quod ſi nulli ardentem praeferre contigiſſet , palma in medio relinquebatur . (2) Horum certaminum meminit Herodotus , eademque Pauſanias deſcribit , nulla tamen mentione facta Vulcani , ſed tantum Promethei . (3)

MERCVRIVS in Gemma IV. VIALIS exhibetur , in V. vero INFERVS in ſcopulo ſedens , de quo ſatis ſuperque in altero Volumine diximus . TAB. XL. n. IV. V.

TABVLA XLI.

TYPHON.

EGregius artifex huius perrarae Gemmae , in qua TYPHON Terrae , ac Tartari ſive Erebi filius , (4) ut docet Heſiodus , truci , atque horrido vultu , horrentibuſque capillis ſculptus cernitur , illorum ſententiam ſecutus eſt , qui Typhonem TAB. XLI. n. I.

 nil

(1) Aeneidos Lib. VIII. v. 423.
(2) Plura de his certaminibus erudite Nat. Comes Mythol. Lib. II. Cap. VI. & Lib. IV. Cap. VI.
(3) In Atticis Cap. XXX.
(4) In Theogonia . Vide etiam Hyginum Fab. CLII. & Nat. Comitem Mythol. Lib. VI. Cap. XXII.

nil aliud eſſe crediderunt quam vim ventorum non ſubterraneorum modo, ſed etiam e ſublimi loco ſpirantium; qui orientem, & occidentem plagam manibus pertingeret. Velum inflatum vento, quod eius caput ambit, id ſatis perſpicue indicare videtur.

TAB. XLI. n. II. ARIADNE Minois regis Cretae, & Paſiphaës filia, domus paternae immemor, Theſeo interfectori Minotauri fratris ſui exitum Labyrinthi monſtravit, ut eius coniugio potiretur. Verum Theſeus fidei proditor, eam in inſula Naxo dormientem reliquit; quam Liber pater amans, inde ſibi in coniugem abduxit. Sculpta eſt multo artificio, ſolutis crinibus maerens, qualis deſcribitur a Catullo. (1) Auguſtinius, & Maffeius perperam, ut videtur, Cleopatrae imaginem cenſuere. (2)

n. III. VENVS ANADYOMENE e mari exiens, e capillis aquam exprimit; (3) cui famulantur Cupidines, quorum unus duas armillas brachiorum ornamenta offert, alter vero vas unguentarium.

TABVLA XLII.

HORVS.

TAB. XLII. n. I. AEgyptii orientem ſolem exprimere volentes, HORVM puerum ita depinxere, ut docet Plutarchus. (4) Lotum gerit capite, eique frequenter inſidet; quia Solem naſci, & ali ex humore, atque exhalationibus putarunt. (5)

n. II. AMOR BIBAX. Perelegans haec Gemma eſt, in qua ſculptus Amor vinum e cornu exhauriens, & ardentem faculam ferens. Amor ignis eſt, atque igni comparatur. (6) Vinum quoque cum igne mirifice convenit, ita enim apud Athenaeum Lib. II. Cap. II. canit Cyrenaeus poëta: Οἶνος τῷ πυρὶ ἶσον ἔχει μένος: *Eſt eadem vini, ac ignis vis.*

n. III. ARATOR iunctis bubus aratro adunco circumagens ſulcum, Colo-

(1) Carm. LXIII.
(2) Gemm. ant. fig. Par. I. Tab. LXXVI. pag. 88.
(3) V. Auſonii Epigr. CIV. Antholog. Lib. IV. Cap. XII. n. 26.
(4) Lib. de Iſide, & Oſiride.
(5) Ex eodem Plutarcho. V. Cuperum in Harpocrate pag. 4.
(6) Vide Antholog. Lib. I. Cap. XXVII. n. 8.

Coloniae, five Vrbis conditorem fortaffe defignat. Alii Triptolemum, ali Ofiridem aratri inventorem faciunt. Pro Ofiride ftat Tibullus: (1)

Primus aratra manu folerti fecit Ofiris,
Et teneram ferro follicitavit humum.

TABVLA XLIII.

SOSTRATVS AB HERCVLE TVMVLATVS.

COnfideranti mihi hanc Gemmam faberrime infcalptam, in qua Heros iuvenis clavam tenens ad fepulcrum maeret, quod defignat columella cui urna cinerum impofita eft, iuxta quam aridus arboris truncus cernitur; nihil in praefentia verifimilius occurrit, quam quod HERCVLES effe poffit lugens ad fepulcrum SOSTRATI pueri, qui ei in deliciis fuit; quod in fuburbano Dymes agro ad viam dexteram ei pofuit, atque in eius inferiis capillum mifit, ut memorat Paufanias. (2) Hercules etfi frequentius occurrat amictus pelle Leonis Nemeaei, quem fuffocavit; non raro tamen chlamyde etiam ornatus confpicitur. Praeterea id fortaffe evenit ante caedem eiufdem Leonis Nemeaei. TAB. XLIII. n. I.

TELEPHVS A TEVTHRANTE EXCEPTVS, ni meliora, ac probabiliora legendo in pofterum occurrant cenfetur a me puer, quem, ut ex urna prodeat, vir prehenfa eius manu educit; quod ut is faciat vir quidam alius, ex habitu forte augur, hortari videtur. Aleus fertur mares liberos habuiffe Licurgum, Amphidamantem, & Cepheum, filiam vero Augen. Cum hac Hercules concubuit, quum forte Tegeam veniffet, e qua natus puer, Telephus appellatus. Id ubi ex puerperio filiae refcivit Aleus, puerum cum matre in urnam, feu arcam ligneam conclu- n. II.

(1) Lib. I. Eleg. VIII. v. 29.

(2) In Achaicis Cap. XVII.

clusos in mare abiecit. Delata urna est aestu ad Teuthrantem Dynastam in campis ad Caicum amnem, qui tum puerum Telephum, tum Augen matrem excepit, ut narrat Pausanias. (1) Haec fabula, utpote feralis, clarius exhibetur in anaglypho opere perelegantis urnae sepulcralis, quae nuper Volaterris eruta est, quam cum ceteris permultis hactenus ineditis veterum Etruscorum antiquitatibus omni eruditione refertis, quantocius in lucem proferam, si mihi impensarum onera haudquaquam ferre valenti aliquis Maecenas adsit, ac praesto sit. Hanc ipsam Gemmam primum edidit Leonardus Augustinius, iterumque cum observationibus vulgavit Eques Paulus Alexander Maffeius; (2) qui puerum dolio inclusum, atque adsurgere nitentem praetermiserunt; & virum illum, qui Teuthrantes mihi videtur, in ipsa urna impositum fecere, ac Diogenem Cynicum in dolio habitantem putarunt, praeter sculpturae fidem.

TAB. XLIII. n. III. VIR ANTE DEI SIGNVM. Ignotum mihi est tum Dei signum, tum vir ille qui illud indicat dextera manu. Datis Medus forte esse potest, quem impense Deos coluisse perhibent; nam quum Apollinis signum in Phoenissa navi reperisset, statim illud tradidit Tanagraeis, ut ad Delios reportarent, feruntque orationem ad eosdem Delios habuisse. (3)

TABVLA XLIV.

EQVES GRAECVS PVGNANS.

TAB. XLIV. n. I. HEROS ex equo adversus barbarum hostem pugnans incognitus mihi est; natione Graecum indicat clypeus Argolicus. Plinius laudat Neoptolemum ex equo adversus Persas pugnantem, quem pinxit Apelles. (4) Pro certo adfirmare minime audeam hunc esse Neoptolemum, vero tamen simile esse dicam.

n. II. HERCVLES MVSARVM, ut legitur in denariis Q. Pomponii

(1) In Arcadicis Cap. IV.
(2) Gemm. ant. Fig. Par. I. Tab. LIV. pag. *66. 67*.
(3) Ex Pausania in Phocicis Cap. XXVIII.
(4) Lib. XXXV. Cap. X.

ponii Musae, sive Μουσαγέτης Musarum dux & comes, magno honore cultus in Graecia (quod cognomen Apollinis praecipuum fuit) (1) spectandus est in hac Gemma elegantissima, diligenti opificio sculptus, non tamen iuvenis, sed provecta aetate. Citharam pulsans sedet in saxo instrato leoninae pellis exuviis, vultumque in caelum conversum tenet, ut ii omnes solent, qui fidibus canunt. Pausanias (2) memorat Herculem didicisse musicam a Lino, qui Ismenius dictus est; Theocritus vero ab Eumolpo. (3) Romae fuit aedes Herculis Musarum, quam in Circo Flaminio Fulvius Nobilior ex pecunia censoria fecit. (4)

MINERVA CLAVIPOTENS tum in hac perrara Gemma, TAB. XLIV. *n. III.* tum in altera, quam superius produximus n. II. Tab. XXIV. cernitur; qua clava, ut Diana, & Parcae fecere, (5) impios gigantes contudit, vel ab Hercule victore eam dono accepit. Memorat Pausanias (6) Herculem dedicasse clavam suam Mercurio Πολυγίῳ *Polygio*; Minervae quoque Deae sibi salutari, atque adiutrici clavam donasse ex his Gemmis colligere possumus. Non longe a Pallade sculpti sunt iuvenes in Panathenaeis certaminibus victores, oleagineum ramum praeferentes, de quibus alibi erit sermo.

T A B V L A XLV.

ACRATVS BACCHI GENIVS.

QVanto ingenio, quantoque opificio a praestanti artifice insculptus sit Amethysto caelatura admodum profunda ACRATVS BACCHI GENIVS, qui ex Dactyliotheca Victoriorum nunc primum eruditorum virorum conspectum subit, nemo satis perspicue ex hac delineatione intelligere potest nisi archetypum ipsum accurate contempletur. Puer exhibetur expansis alis, ore ridenti, ac periucundo: decori sunt oculi, in qui-

(1) Ex Pausania in Atticis Cap. II.
(2) In Boeoticis Cap. XXIX.
(3) Idyll. XXXI.
(4) Vide Gyraldum in Syntagm. Deorum X.
(5) Ex Apollodoro Biblioth. Lib. I.
(6) In Corinthiacis Cap. XXXI.

quibus Charites esse dicas : pulchrae sunt genae , praetumidae , ac succulentae ; frons laeta , labia suavitatis plena , qualia idem Bacchus habere cupiat . Corona e florentibus hederis baccisque contexta blandum caput eius eleganter inumbrat . Quod vero notatu dignum , laevum brachium armilla gemmata , in qua scilicet inserta est gemma , ornatum est ; dextera vero manus velata conspicitur . Quid vero hoc significet , aperit Livius , de Numae sacro in honorem Fidei instituto verba faciens : (1) *Lucus erat , quem medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua : quo quia se persaepe Numa sine arbitris , velut ad congressum Deae , inferebat , Camoenis eum locum sacravit ; quod earum sibi concilia cum coniuge sua Egeria essent , & soli Fidei solemne instituit . Ad id sacrarium Flamines bigis curru arcuato vehi iussit , manuque ad digitos usque involuta , rem divinam facere ; significantes fidem tutandum , sedemque eius etiam in dextris sacratam esse .* Pausanias signa describens Deorum , quae ornabant domum Polytionis , sua tempestate Libero Patri consecratam , memorat quoque illud extitisse Acrati Genii , qui fuit unus e Bacchi comitibus , cuius os e pariete eminebat . (2)

TABVLA XLVI.

NEREVS ET DORIS.

PRaestantium operum , quae in Gemmis sculpta sunt , periti aestimatores nihil vel pulchritudinis , vel artificii , vel diligentiae desiderant in hoc Amethysto , in quo NEREVS ET DORIS exhibentur . Maris viam inter fluctus aperit aliger Cupido , praeit Delphinus : Doris marinos Deos festivam sobolem suam utraque manu tenet . Solum nomen artificis in hac insigni sculptura desideratur .

TA-

(1) Lib. I.

(2) In Atticis Cap. II.

TABVLA XLVII. XLVIII.

TRITON.

TRITONEM conchae inventorem, cuius inaudito fonitu Gigantes adverfus Deos pugnantes exterruit, (1) atque in fugam vertit, per mare parvus Amor tenui filo circumagit, eique infidens fine flagello moderatur. Caput habet diademate praecinctum. T. XLVII. n. I.

GALATEA delphino vecta per mare, veftem ad Zephyrum tollit fupra caput, quae etiam ei umbraculum fit, & currenti velum, uti a Philoftrato defcribitur. (2) n. II.

NEREIDVM Nympharum e numero una hippocampo per mare vecta, capite galeam, finiftra clypeum gerit. Huic alia fimilis fculpta in Gemma II. Tab. XLVIII. quae fequitur. Ferunt Palladem iifdem galeam, & clypeum dono dediffe. n. III.

OCEANVS Deorum hominumque antiquiffimus parens, humi decumbens, aquas ex urna effundit. n. IV. V.

TETHYS Oceani uxor, Nympharumque mater, equis marinis per mare vecta, pede delphinis infiftit. Hanc rerum omnium primordium appellat Homerus. (3) T. XLVIII. n. I.

AMPHITRITE equum frenat, dextera virgam praefert. Hanc memorant Thefeo coronam adtuliffe, quam ad perpetuam eius facinoris memoriam inter fidera retulit Neptunus. (4) n. III.

VENVS PELAGIA a Tritone vehitur per mare. Caput habet mitella ornatum. Venus e mari orta fingitur, eique Tritones, & Nymphae marinae famulantur quafi dominae humidi elementi; quia, ut docet Phornutus, ad omnium generationis caufam, motu & humiditate opus eft; quae utraque in mari abundant. n. IV.

(1) Confer Hygini Poëticon Aftronom. Lib. II. Cap. XXIII.
(2) Iconum Lib. II. CYCLOPS. pag. mihi 811.
(3) Iliad. Ξ. v. 201. & v. 303.
(4) Vide Nat. Comitem Mytholog. Lib. VII. Cap. IX.

TABVLA XLVIIII. L. LI. LII.

NEPTVNVS.

T. XLVIIII. n. I. NEPTVNVS terrae marifque Rex, ac potens Deus (1) cernitur ftans in continenti, quare Γαιαοῦχος dicitur, (2) laeva tridentem, dextera delphinum tenet. Pofita eft iuxta eum urna, in eius facris adhibenda, & ancora, cum qua coniunctum eft apluftrum, maritimae potentiae fymbolum; (3) quod etiam perfaepe manu tenet, ut in nummis Vefpafiani, (4) & Titi videre eft. (5) Pifcator mare excurrit lintro vectus, magnamque pifcium copiam hamo pifcatur. Caput, quod notandum eft pileo tectum habet, ad vitandas aëris, & aeftus iniurias. Hanc Gemmam faberrime infcalptam eidem Neptuno voti caufa donatam fuiffe cenfeo ab eodem pifcatore.

T. n. XLVIIII. & L. NAVIGIA VARIA MVLTIREMIA fculpta funt in pluribus Gemmis tum in hac Tabula XLVIIII. tum in fequenti L. Interdum aliqua ex ingenio a caelatoribus expreffa occurrunt; quale illud eft n. III. in Tab. L. quod delphinus efformat. In Gemma I. eiufdem Tab. L. fupra navem duo fidera confpiciuntur, quae Caftorem, & Pollucem defignant, qui a navigantibus invocari folebant. Horatius ad Virgilium Athenas navigantem: (6)

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae lucida fidera,
Ventorumque regat pater,
Obftrictis aliis, praeter Iapiga,
Navis, quae tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem precor.

Complures quoque ex his Gemmis vetuftiffimam indicant con-

(1) Vide Anthol. Epigr. Lib. IV. Cap. XXII. n. 2.
(2) Paufanias in Laconicis Cap. XX. & XXI.
(3) Vide Fabrettum ad Tabellam Iliadis pag. 347.
(4) N. IV. apud Triftanum pag. 287.
(5) Apud Oifelium Tab. XXXVI. n. XII.
(6) Carmin. Lib. I. Ode III.

consuetudinem suspendendi arma, & clypeos in puppibus & ad latera navigiorum, cuius testis est Homerus, & Virgilius; idque ab Etruscis nostris factum fuisse docent vetera e marmore anaglypha, in quibus naves sculptae sunt. Signa Legionis cum aquila legionaria infixa sunt in navi actuaria rostrata, quae exhibetur in Gemma IV. Tab. XLVIIII. cuius signum est Capricornus. In Gemma IV. Tab. L. navis victoriae symbolo ornatur, nempe tropeo, diviti cornu, & aquila coronam ore praeferente. Gemma vero V. quae consequitur in eadem Tab. L. perrara est omnique observatione digna, quae non solum ornatur appensis armis thorace, clypeo, & sagitta, verum etiam ad belli usum comparata, turris propugnaculum habet, ut in ea velut e muris milites in mari pugnarent. Hae turres ad libram impositae, & ad proram, & ad puppim statuebantur, ob idque dictae *turritae* a Virgilio, ut observat Lazarus Baysius. (1) Antonianos in pugna illa navali, quae ad Actium facta est cum Caesarianis, turres in navibus habuisse liquet ex Dione. De his audiendus Horatius ad Maecenatem: (2)

Ibis Liburnis inter alta navium
Amice propugnacula.

OCEANI PATRIS HORTI in hac Gemma, ni fallor, desi- TAB. LI. n. I.
gnatur. Femina in scopulo sedens vas tenet, in quo planta mihi ignota consita est. Vir nudus e regione palmam amplexatur, duaeque arbores non procul apparent. E specu exit cetus; hinc inde innatant delphines. Horti Oceani patris describuntur ab Aristophane in Nubibus, (3) in quibus Nymphas ducere choreas fingit.


AMOR A DELPHINIS VECTUS imperium in mari quo- n. II.
que se habere ostendit. (4) Delphinus non solum Neptuno sacer est, verum etiam eidem Amori, & Veneri eius genetrici, quam e mari natam fingunt. Amorem regem per mare alii Cupidines comitantur.


AMPHIDAMAS TRITONIS VXOR, (5) vel Cimothoe, vel n. III.
Nereidum Nympharum aliqua ab eo vecta per mare. Coralii fru-

(1) De Re navali pag. mihi 61. edit. Paris. Rob. Stephani.
(2) Epod. I. Ode I.
(3) In Nubibus, fere in principio.
(4) Vide Tzetzae Histor. Chil. V. n. 11. pag. mihi 347. & Pierium Valerianum Lib. XXVII. de Delphino.
(5) Ex Hygino Fab. XIV. & Apollodoro Biblioth. Lib. III.

ticem laeva manu oſtentat. Altera Nympha in mari pectore tenus merſa, velum ad Zephyrum expandens, fortaſſis GALATEA eſt, uti pingitur a Philoſtrato.

TAB. LII. ALEXANDRIAE Genium expreſſum arbitror in hoc inſigni lapide cyaneo, ſecutus Leonardi Auguſtinii iudicium, vel ANNONAM Aegypti, e cuius horreis, quae ſuperne ſculpta ſunt (ni tamen ad templa Iſidis, Oſiridis, & Harpocratis referenda ſint) Romani maximam frumenti copiam ad victum deducebant; quare etiam in flumine triremis, & navis oneraria conſpiciuntur. Hanc exhibet figura ſedens iuxta ripam, mulieris habitu, quae ornatum habet caput cidari, vel ſacra mitra cum loti flore; humeros vero parva chlamyde variegata: laeva tenet ſceptrum, cubitoque innititur capiti Nili, e quo, ut ſuperius etiam oſtendimus in Gemma I. Tabulae XVIIII. erumpunt cancri brachia; quare fallitur Auguſtinius, qui ſcorpionem caeleſte ſignum eidem ſubiectum opinatur, adeoque ad Genium quoque Africae reduci poſſe putat. Ad indicandam vel Alexandriae, vel Aegypti fertilitatem ubertatemque puer ei calathum frumento plenum cum ſpicis offert, ut in nummis in quibus Annona expreſſa eſt: circumſtant quoque eam varia animalia, quibus paſtor praepoſitus eſt. Sed de hac inſigni ſculptura ſatis ſuperque Auguſtinius, & Maffeius in Par. IV. Tab. XXX.





C L A S S I S III.

T A B V L A LIII.

D E A R O M A.



Vnctarum paene gentium terrarumque domina ac parens ROMA, omni laude maior, praeit insignes Gemmas huius Classis; in qua complura eorum quae praecipua sunt, ac maxime memoratu digna in Romana Historia, veterum monumentorum auctoritate illustrantur.

Inclyta haec DEA, (1) quae divinis honoribus culta est, (2) templaque habuit non modo Romae in monte Palatino, (3) verum etiam apud Smyrnaeos, (4) & Alabadenses, (5) aliosque populos, (6) si caput eius galea cristata ornatum, solutisque crinibus decorum spectetur, Palladem ipsam refert; si vero pectus, nudam exertamque habens dexteram mammam, (7) pendente balteo ex humero, vel Amazonem, vel Heroinam aliquam bello adsuetam, hostemque nullum metuentem reprae- TAB. LIII. *n. I. II. III.*

(1) Martialis Lib. XII. Epigr. VIII.
Terrarum Dea, gentiumque Roma,
Cui par est nihil, nihil secundum.

(2) Prudentius Lib. I. contra Symmachum.

(3) Ex Dione Cassio Lib. LI. Claudiano Lib. II. in Stilicon. Vide Inscr. apud Gruterum pag. CCCXVII. 7. CCCXX. 8.

(4) Apud Tacitum Lib. IV. Annal. Cap. LV. & seqq.

(5) Apud Livium Lib. XXXV.

(6) Vide Aristidem in Panegyrico Romae; Xiphilinum in Severo; Claudii Rutilii Numatiani Itinerarium.

(7) Ita quoque describitur a Corippo Lib. I. de laudibus Iustini.

repraesentat. Laeva manu stringit parazonium, cuius capulus in aquilae caput desinit; dextera vero, ut in nummo maximi moduli Commodi Imperatoris, gestat omni fructuum copia dives cornu, felicitatis symbolum, quam imperio optimorum Principum consecuta est. (1) Veterum Poëtarum nemo, meo iudicio, melius Claudiano (2) pinxit Romam tanta venustate, orisque dignitate praeditam; quae etiam ut legitur in vetustis inscriptis lapidibus, & nummis ΒΑΣΙΛΕΥΟΥΣΑ ΡΩΜΗ *Regina Roma*, (3) & ΘΕΑ ΡΩΜΗ *Dea Roma*, ΚΑΛΗ ΡΩΜΗ *Pulchra Roma*; (4) & apud Horatium *Vrbium Princeps*, (5) apud Tibullum vero, (6) ut in antiquis quoque lapidibus & nummis VRBS AETERNA, (7) cui templum Romae ab Antonino erectum, praedicatur. En igitur eius imago picta apud Claudianum, huic plane respondens:

Ipsa triumphatis qua possidet aethera regnis
Adsilit, innuptae ritus imitata Minervae:
Nam neque caesariem crinali stringere cultu
Colla, nec ornatu patitur mollire retorto.
Dextrum nuda latus, niveos exserta lacertos
Audacem tetigit mammam, luxumque coërcens
Mordet gemma sinum. Nodus, qui sublevat ensem,
Album puniceo pectus discriminat ostro.
Miscetur decori virtus, pulcherque severo
Armatur terrore pudor, galeaeque minaci
Flava cruentarum praetenditur umbra iubarum;
Et formidato clypeus Titana lacessit
Lumine, quem tota variarat Mulciber arte.
Hic patrius Mavortis amor, foetusque notantur
Romulei; pius amnis inest, & bellua nutrix.

In duabus Gemmis, quae sequuntur, eadem Dea clypeum tenet vel purum, vel ornatum Medusae Gorgonis capite, quod ei ad exemplum Palladis tribuitur: quare Prudentius: (8)

Aegidaque in dubiis pro se pugnasse periclis
Dicere. ——————————— Haec

(1) Vide C. V. Phil. Bonarrotium Senatorem Flor. in Numismata max. mod. Tab. VII. n. 6. pag. 111. 112.
(2) In Panegyri de Olybrii, & Probini fratrum Consulatu v. 82.
(3) Vide Inscriptiones Athleticas ab Oct. Falconerio illustratas pag. 1. & 30. 31. 32. Gruteri Thesaurum pag. CV. 9.
(4) Lege Oct. Falconerium in Inscript. Athleticas pag. 32.
(5) Carmin. Lib. IV. Ode III.
(6) Lib. II. Eleg. V. v. 23.
(7) Apud Gruterum p. CVII. 5. MXVII. 7. Vide Mediobarbum in Indice.
(8) In Symmachum Lib. II.

Haec imago DEAE ROMAE pulcherrima eſt, abſolutoque ac ſtupendo opere Sardae inſcalpta a peritiſſimo artifice: ea vero quae exhibetur in ſequenti Tabula LV. quae bellatricem Palladem refert, eximio certe opificio Sardonychi expreſſa eſt, & propter Gemmae magnitudinem ſingularis.

VICTORIAE icones peregregii operis in eadem Tabula LV. ea de cauſa ſubiectae ſunt quod Roma frequenter ſculpta ſit dextera manu praeferens parvum ſignum Victoriae, quae coronam ei imponit, ut in Tabula LIII. videre eſt. Nemo enim ignorat Romanos viros fortiſſimos totum orbem victoria emenſos, omnes nationes imperio ſuo ſubegiſſe, & ubique victrices aquilas intuliſſe. Romam VICTRICEM, hac quoque de cauſa ſculptam congeſtis armis inſidentem, ita laudat Claudianus: (1) TAB. LV. n. II. III.

Haec eſt in gremium victos quae ſola recepit,
Humanumque genus communi nomine fovit
Matris, non Dominae ritu, civeſque vocavit
Quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit.

Perſaepe etiam dextera orbem, vel clavum, vel coronam, vel Palladium geſtat, ut edita numiſmata oſtendunt.

SVS TRIGINTA SVCVLOS ENIXA ET LACTANS ALBOS, iam amiſſa a Troianis in Campania, & in litore Laurenti inventa ab Aenea, omen fuit Albae urbis condendae ab eius filio Aſcanio. De oſtento in ſomniis admonitum Aeneam a Tiberino patre ita canit Virgilius: (2) TAB. LIII. n. IV.

O ſate gente Deûm, Troianam ex hoſtibus urbem
Qui revehis nobis, aeternaque Pergama ſervas,
Expectate ſolo Laurenti arviſque Latinis;
Hic tibi certa domus, certi (ne abſiſte) Penates:
Neu belli terrere minis. tumor omnis & irae
Conceſſere Deûm.
Iamque tibi, ne vana putes haec fingere ſomnum,
Litoreis ingens inventa ſub ilicibus SVS,
Triginta capitum foetus enixa, iacebit;
Alba, ſolo recubans, albi circum ubera nati.

Hic

(1) Lib. III. de Laudibus Stiliconis. Lege Rutilium Numatianum in Itinerario v. 47.

(2) Apud Virgilium Aeneid. Lib. VIII. v. 36. vide etiam Aeneid. Lib. III. v. 390. atque in haec loca Servium.

Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum:
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Ascanius clari condet cognominis ALBAM.

Hanc Gemmam rarissimam inter illas enumero, quae annulo circumligatae boni ominis gratia deferri solebant.

TABVLA LIV.

ROMVLVS ET REMVS A LVPA EDVCATI.

CLypei Deae Romae insigne esse solet non modo caput Medusae Gorgonis, verum etiam LVPA LACTANS ROMVLVM ET REMVM, nec alio emblemate insculptus clypeus a Vulcano factus, quem Virgilius describit: (1)

Fecerat & viridi foetam Mavortis in antro
Procubuisse lupam: geminos huic ubera circum
Ludere pendentis pueros, & lambere matrem
Impavidos: illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.

Cernitur etiam idem insigne in clypeo, quem tenet Roma sculpta anaglypho opere in stylobate marmoreae columnae, quae Antonino Pio parenti Antoninus, & Verus filii in urbe omnium principe dedicarunt. (2)

Memoriam gloriamque antiquae originis VRBIS AETERNAE complures non solum Coloniae, sed etiam Familiae Romanae ut renovarent, Romulum, & Remum a lupa educatos cum in nummis, tum in gemmis annularibus insculpi iusserunt.

TAB. LIV. n. I. FAVSTVLVS magister regii pecoris, qui pueros altricis lupae uberibus inhiantes, expositos sub ruminali ficu, ad ripas Tiberis invenit, spectandus est, cui alius pastor comes adiungitur.

LA-

(1) Aeneidos Lib. VIII. v. 630.

(2) Hanc illustravit Cl. Ioannes Vignolius.

LARENTIA cernitur, cui Faustulus eius maritus pueros educandos dedit. *Sunt* (ut ait Livius) *qui Larentiam vulgato corpore lupam inter pastores vocatam putent; inde locum fabulae, ac miraculo datum.* (1) TAB. LIV. n. II.

LVPA PVERORVM ALTRIX eos lactat iuxta Lupercal, spelaeum scilicet ad radices montis Palatini. Duo pastores hinc & hinc eos custodiunt; capri arboribus insiliunt. n. III.

MARTIS CAPVT cernitur, quem Romuli, & Remi parentem aliqui tradunt, compressa Rhea Silvia. Ruminali ficui insidet picus, quem, inspectante Faustulo, qui adest, advolasse ferunt, & ore pleno cibum pueris ingessisse; quare tum picus, tum lupa in tutela Martis ponuntur. n. IV.

TABVLA LVI. LVII.

HORATIVS COCLES.

EXimia sane omnique aevo miranda cum fortitudinis, tum pietatis in patriam exempla celebrant historiae Romanae prisca monumenta: in illis viris longe praestantissimis Horatio Coclite, Mutio Scaevola, Marco Curtio, Attilio Regulo, atque Sergio Silo, quorum imagines, & gesta in his rarissimis Gemmis exhibentur. Primus omnium in hac Tabula occurrit HORATIVS COCLES; qui, quum invaderet Romam infesto exercitu Lartes Porsena rex Etruscorum, ut expulsos Tarquinios in regnum restitueret, iamque cepisset primo impetu Ianiculum, terrore senatu, metu plebe perculsa, trepidantibus suis, arma ordinesque relinquentibus, unus omnium positus forte in statione pontis Sublicii, qui Etruscis paene iter dederat, egregia animi virtute impetum hostium sustinuit, ipsoque miraculo audaciae eos obstupefecit: deinde rupto ponte sic armatus in Tiberim desiluit, multisque superincidentibus telis, incolumis ad suos tranavit; rem ausus, ut ait Livius, (2) plus famae habituram TAB. LVI. n. I.

(1) Livius Lib. I.
(2) Lib. II. Dec. I. Vide etiam Florum Lib. I. Cap. X. Dionysium Halicarnasseum Lib. V. Orosium Lib. II. Plutarchum Cap. XVI. Parall. & in vita Publicolae.

ad posteros, quam fidei. Insigne hoc facinus anaglypho opere Chalcedonio exscalptum est, ostenditque quanto honore tanti viri memoria consecutis quoque temporibus coleretur; cui, dum adhuc viveret, tamquam eximio patriae liberatori, statua in Comitio posita est; postea vero de caelo tacta, in aream Vulcani translata: (1) & agri quantum uno die circumaravit datum.

TAB. LVI. n. II. C. MUTIUS SCAEVOLA, obsidente paullo post urbem eodem Porsena, alterum in tuenda adserendaque patriae libertate clarissimum lumen, duabus in Gemmis praestanti artificio sculptus, nimirum in hac Tab. LVI. Gemma II. & in Tab. LVII. Gemma I. ut pictoris commodo consulamus, spectandus est. Ante tribunal Porsenae regis a satellitibus constitutus, accenso ad sacrificium foculo, velut alienato a sensu animo, peccantem dexteram in caede eiusdem regis memorando adfecit supplicio; atque inter tantas fortunae minas metuendus magis quam metuens haec praeter alia plura, quae disertissimus Livius memorat, dixisse fertur: (2) *Romanus sum civis; C. Mutium vocant: hostis hostem occidere volui; nec ad mortem minus animi est, quam ad caedem fuit; & facere & pati fortia, Romanum est.* Reliqua ex Livio huc adferenda essent; sed volentibus obvia sunt; doctis vero hominibus, nobisque ad alia properantibus prope supervacanea.

n. III. IV. MARCUS CURTIUS, iuvenis bello egregius, si famae rerum standum est, pro salute patriae se devovit. Nam quum responsum esset voraginem illam, quo medium ferme forum specu vasto collabsum in immensam latitudinem dicitur, re tantum expleri posse qua Populus Romanus plurimum valeret; interpretatus virtute armisque excellere, equo quam poterat maxime exornato armatum se in eam immisit: quamobrem quum super eum donaque ac fruges multitudo virorum, ac mulierum congessisset, continuo terra pristinum hiatum recuperavit. Duae Gemmae nobilissimae insigne hoc pietatis erga patriam exemplum ostendunt. (3)

TAB. LVII. n. II. Perraram atque insignem ut faceret hanc Gemmam Leonardus Augustinius in ea sculptum censuit se se armantem, & caligas inducentem L. QUINTIUM CINCINNATUM, ut ab aratro ad dictaturam transiret: fides sit penes virum antiquitatis peri-

(1) Vide A. Gellium Lib. IV. Cap. V. & Marliani Topographiam Lib. III. Cap. XIX.

(2) Ex Livio Lib. II. Decad. I.

(3) Idem Livius, ibidem.

peritissimum. Arma nulla ab eo sumpta, sed togam propere e tugurio prolatam ab uxore eius Racilia constat ex Livio; quare contra historiae fidem posita videntur scuta humi, & parazonium columellae appensum. Vrna vero eidem columellae imposita quid declaret, ab Augustinio elucidari vellem: penes me, ut supra dixi, sepulcrum indicat: adeoque quid sepulcrum cum Cincinnato? Funebribus de more certaminibus in honorem Patrocli persolutis, non dubito in hac Gemma referri ACHILLEM ocreas induentem, & reliqua arma, quae a Thetide matre acceperat, fretus auctoritate Tabulae Iliacae n. XLVII.

ATTILIVS REGVLVS Romani exercitus imperator in bellis Punicis, ad flumen Bagradam balistis tormentisque, uti vero in hac Gemma exhibetur, hasta ex equo serpentem ingentis magnitudinis expugnavit, nimirum centum & viginti pedum longitudinis; quem commodo suo consulens scalptor, utcumque potuit, expressit. Pellis eius maxillaeque, ut narrat Plinius, (1) usque ad bellum Numantinum duravere Romae in templo. TAB. LVII. n. III.

Sequuntur duae Gemmae, in quibus ARMA MILITVM sculpta sunt, nempe thorax, parazonium, galea cristata, clypeus, hasta, ocreae. n. IV. V.

TABVLA LVIII.

M. SERGIVS SILVS.

EXprimit hoc opus rarissimum, vitro caerulei coloris impressum, Romanorum heroum fortissimum M. SERGIVM SILVM dextro brachio destitutum, qui sola sinistra manu quater pugnans, maximo virtutis exemplo adversam belli sortem superavit, aeternamque sui nominis gloriam posteris reliquit. Sed qualis quantusque vir fuerit libet audire ex Plinio, qui ita eum laudat: (2) *M. Sergio, ut quidem arbitror, nemo quemquam hominum iure praetulerit; licet pronepos Catilina gratiam* TAB. LVIII. n. I.

(1) Lib. VIII. Cap. XIV.

(2) Hist. Nat. Lib. VII. Cap. XXVIII.

tiam nomini deroget : Secundo ſtipendio dexteram manum perdidit : ſtipendiis duobus ter & vicies vulneratus eſt ; ob id neutra manu , neutro pede ſatis utilis , uno tantum ſervato , plurimis poſtea ſtipendiis debilis miles . Bis ab Hannibale captus (neque enim cum quolibet hoſte res fuit) bis vinculorum eius profugus : viginti menſibus nullo non die in catenis , aut compedibus non cuſtoditus : ſiniſtra manu ſola quater pugnavit , duobus equis , inſidente eo , ſuffoſſis . Dexteram ſibi ferream fecit , eaque religata proeliatus , Cremonam obſidione exemit , Placentiam tutatus eſt ; duodena caſtra hoſtium in Gallia cepit : quae omnia ex oratione eius apparent , habita , quum in Praetura Sacris arceretur a Collegio , ut debilis . Quos hic coronarum acervos conſtructurus hoſte mutato ? etenim plurimum refert in quae cuiuſque virtus tempora inciderit . Quas Trebia , Ticinuſve , aut Traſymenus civicas dedere ? quae Cannis corona merita ? unde fugiſſe , virtutis ſummum opus fuit . Ceteri profecto victores hoſtium fuere ; Sergius vicit etiam fortunam . Paene eadem repetit Solinus . (1) Recte artifex iuxta eius ſimulacrum in hoc ſingulari opere ſculpſit Victoriam columnae inſiſtentem , quae ei palmam offert , & amiſſum eius dextrum brachium indicare videtur .

TAB. LVIII. n. II. III. IV. MARS VICTOR praeit MILITVM agmen , qui ex antiquis Gemmis a nobis proferuntur . Nudus graditur , dextraque haſtam , ſeu pilum utrimque cuſpide armatum , ſiniſtra tropaeum in humeris gerit ; eodem typo ut in pluribus Imperatorum nummis exhibetur , cum inſcriptione MARS VICTOR . Si quis vero tum in his annularibus Gemmis , tum in aliis duabus IV. & V. quae exhibentur in Tab. LVIIII. quae conſequitur , MILITES VICTORES hoſtium ſpolia ferentes , forte in Deorum templis ſuſpendenda , ſculptos cenſeat , haud improbabile id eſſe dicam . Mars ſpecie non iuvenis tantum , ſed etiam ſenex frequenter occurrit . Hoc prorſus modo ſculptum habes in Gemma II. & III. ſequentis Tabulae LVIIII. Scorpius ei ſacer , (2) galeae inſculptus eſt , & lupa ad terrorem hoſtibus iniiciendum .

TA-

(1) Cap. IV.

(2) Vide Macrobium Saturnal. Lib. I. Cap. XII.

TABVLA LVIIII.

BVCCINATOR.

BVCCINATORVM officium fuit classicum canere, ut docet Vegetius, (1) indicta in castris munia explere, vigilias distinguere, convivium convocare, vel dimittere. (2) Buccinam in semetipsam aereo circulo flexam tenet iuvenis militari chlamydio ornatus. Hoc munere aliquando functos esse viros summo loco natos docet Romanus lapis in Gruteriano Thesauro, (3) in quo P. Aelius Deciminus Eques Singularis Augusti BVCCINATOR dicitur, & titulum ponit Aelio Lucio amico pientissimo. Primum Quirites in concilium buccina convocari consuevere. Propertius: (4) TAB. LVIIII. n. I.

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites;
Certum illi in prato saepe Senatus erat.

TABVLA LX.

MILES CVPIDINEM FERENS.

NOn raro in nummis Mars perparvum Victoriae signum dextera praefert. In hac Gemma sive Mars, sive Miles Cupidinem gerit; quasi eum declaret rerum omnium domitorem victoremque maximum, nullamque victoriam armis consequi posse sine praesentia eius numinis, vel gloriae amore. Potest etiam aliger ille puerulus Genium, vel Exercitus, vel Centuriae designare, quem milites praecipuo honore colebant; aedicu- TAB. LX. n. I.

(1) Lib. II. Cap. VII.
(2) Vide Fabrettum de Col. Traiani Cap. VII. pag. 203.
(3) Pag. LXVI. 8.
(4) Lib. IV. Eleg. I. v. 13.

aediculasque omni cultu exornatas, & aras cum eius signo superposito dedicabant, praesertim susceptis votis, vel missi honesta missione, ut complures antiqui lapides in Gruteriana supellectile testantur. (1)

TAB. LX. n. II. MILES INCENDIARIVS. Romani Imperatores occupatis hostium castris, ea succendi a militibus persaepe iubebant; quod etiam factum a Traiano, superatis Dacis, ostendit Columna in eius honorem dedicata, ut videre est in Tab. XXIII.

TABVLA LXI.

IMPERATOR VICTOR.

TAB. LXI. n. I. DVae Victoriae, summis pedibus gradientes, IMPERATOREM VICTOREM coronant. Duplex corona, duplex palma duas ab eo devictas nationes forte designat. Victoria triumphantes Imperatores semper praeit, vel lateri eorum comes addita, palmam & coronam offert; vel eorum gesta clypeo insculpit. Ovidius ad Augustum: (2)

Sic adsueta tuis semper VICTORIA castris,
Nunc quoque se praestet, notaque signa petat.
Ausoniumque ducem solitis circumvolet alis,
Ponat & in nitida laurea serta coma.

Proficiscentibus ad bellum Imperatoribus, aut ab illo redeuntibus, vel quum imperio auspicarentur, boni ominis causa Victoriolae offerri solebant. En Ammiani testimonium: *Tripolitani Severinum, & Flavianum creavere Legatos, Victoriarum aurea simulacra Valentiniano ob imperii primitias oblaturos*. Cyrillus in prooemio librorum contra Iulianum ad Theodosium: *Igitur dum alii vobis offerunt Victoriolas, coronas, gratulatorias voces, & alia, quibus Imperatoris potentia honoratur; nostri muneris fuerit, qui*

(1) Pag. CVIII. 1. 4. 5. 6. 7. Pag. CIX. 1. 2, 3. 8. Pag. DXXXV. 9. Vide Fabrettum Inscr. ant. Cap. II. pag. 72. & seqq.
(2) Lib. II. Tristium.

qui divino fungimur ſacerdotio, exhibere libros ad divinam potiſſimum gloriam compoſitos. Haec, licet ab aliis erudite adnotata, huc rurſum adferre libuit, ut horum auctorum teſtimonio facilis eſſet meae coniecturae locus, non ſolum numiſmata, & aurea ſimulacra, verum etiam Gemmas cum Victoriae ſimulacris inſculptas Imperatoribus donatas fuiſſe boni ominis gratia; inter quae donaria haec quoque Gemma numerari poteſt.

OTHRYADES LACEDAEMONIVS, ut arbitror, exhibetur in hac eximia, ac perrara Gemma, quam profero ex Dactyliotheca Victoriorum. Othryades, quum inter Argivos, & Spartiatas conveniſſet, ut trecenti utrinque delecti, de agro Thyreate inter ſe decernerent, & utri ſuperiores extitiſſent, eorum regio foret, unus hic tantum VICTOR e Spartiatis ſuperfuit. Quum duo, qui ex Argivis reliqui erant, fugiſſent, caſtris ſuorum relictis, aiunt etiam Othryadem, ſpoliatis prius hoſtium corporibus, & ad ſua caſtra relatis armis, quum puderet Spartam reverti ob ſocios interfectos, ſibi mortem conſciviſſe, ſuoque ſanguine inſcriptis in clypeo litteris ſe victorem adſeruiſſe. TAB. LXI. n. IV.

T A B V L A LXII.

P O S T V M I V S A L B I N V S.

FOrtium virorum eſt in adverſis quoque caſibus egregiae virtutis, animique magnitudinis clara edere exempla. Graeci laudant Othryadem, Romani POSTVMIUM ALBINVM, quem inito cum Samnitibus bello ducem legere. Hic ad furcas Caudinas, loco quam anguſtiſſimo, inſidiis preſſus, tres amiſit legiones, acceptoque lethali vulnere ipſe quoque cecidit. Media fere nocte aliquantiſper recepto ſpiritu, hoſtium cadaveribus clypeos detraxit; tinctaque ſanguine manu, tropaeum ex iiſdem excitatum hoc titulo inſcripſit IOVI VICTORI ROMANI DE SAMNITIBVS. Deinde Marcus cognomento Gurges conſpecto TAB. LXII. n. I.

(1) Vide Herodotum Lib. V. Pauſaniam in Corinthiacis Cap. XX. & Suidam; Valerium Maximum Lib. III. Cap. II. num. 4. Raphaëlem Volaterranum Comm. Vrb. Lib. XVII.

cto eo tropaeo hilari animo accepit augurium, signisque conlatis victoriam retulit, regemque, qui captus est, Romam misit. (1) Statu corporis fere similes sunt Othryades, & Postumius Albinus: hanc vero Gemmam libuit mihi potius eidem Postumio Albino tribuere, quam Othryadi; quia iuxta eum est arbor, cui verisimile est, decisis ramis, Samnitum arma ab eo suspensa fuisse, atque ita tropaeum constitutum. Constat enim arborum truncis, praesertim vero quercuum, affixa fuisse hostium arma; quod ab Aenea factum, suspensis in tropaeum exuviis Mezentii ducis, canit Virgilius. (2)

TAB. LXII. n. II. III. MILITVM PIETAS erga conmilitones in bello occisos, ne eorum corpora insepulta remaneant; quae suprema officia etiam hostes hostibus non raro persolverunt. Exempla obvia sunt cum in Graeca tum in Romana historia. Niciae exemplum haudquaquam silentio praetereundum est. Hic dux Atheniensium, quum forte rescivit, duos ex suis ad Corinthum proelio insepultos relictos esse, quamvis victor, inhibuit exercitus cursum; maluitque victoriae laudem profundere petendo a victis ad sepulturam corpora, quam duos cives inhumatos relinquere. (3) Hoc prorsus modo in Gemma Musei Victorii sculptum vidi Aiacem Achillis cadaver sustinentem, quem sagitta in malleolo pedis infixa declarabat.

TABVLA LXIII.

MILES ETRVSCVS.

TAB. LXIII. n. V. MILES armatus hasta, scuto, & gladio, sculptus in hac Gemma, propemodum similis est Etruscis militibus, qui in antiquis nostris monumentis occurrunt; cuius etiam exempla praebet Tab. LXXVIII. in Dempsteriano opere. (4) Gemmae caelatura peculiaris est, & Etrusca videtur.

TA-

(1) Ex Plutarcho Parall. de Casibus Graecorum, & Rom.
(2) Lib. XI. v. 5. Vide, quae interpretes adnotarunt.
(3) Idem Plutarchus in eius vita.
(4) Tom. I. pag. 461.

TABVLA LXIIII.

SIGNIFER LEGIONIS.

NIhil in Romana militia fuit ſignis venerabilius, nihil auguſtius; quae nec minus ſacra habebantur colebanturque quam Deorum ſimulacra. (1) Signa Deorum, ac Caeſarum imagines, vexilla vero eorum nomina praeferebant. (2) Qui in Legione, Cohorte, Centuria, & Turma ea ferebant, SIGNIFERI dicebantur. Imaginem SIGNIFERI LEGIONIS exhibet haec Gemma, qui haſta, & clypeo armatus ea ſigna in terra figere videtur: nam haſtae, ſeu conti, quibus ea impoſita erant, in ferratam cuſpidem acutam deſinebant; quae ſi deinde a Signifero facile ex humo evellerentur, fauſtum iſtud omen cuncti cenſebant, & certam de futura victoria ſpem concipiebant. Claudianus: (3) TAB. LXIIII. n. I.

Haec ubi ſederunt genero, notiſſima Marti
Robora praecipuos electa pube maniplos
Diſponit, portuque rates inſtaurat Etruſco:
Herculeam ſuus Alcides, Ioviamque Cohortem
Rex ducit ſuperûm: premitur nec SIGNIFER ullo
Pondere, feſtinant adeo vexilla moveri.

Contra vero ſi difficulter illa evellerentur, & Signifero moventi velut reluctarentur, infauſtum id augurium erat, & certam cladem portendebat; cuius rei exempla in Romana hiſtoria ſatis abundant. (4)

TA-

(1) Vide Dionyſium Halicarnaſſeum Lib. VI. Valtrinum de Re militari veter. Rom. Lib. III. Cap. IX.
(2) Confer Laevinum Torrentium in Suetonium in Veſpaſ. c. 7.
(3) De Bello Gildonic.
(4) Vide Gaſperium Gevartium in Elect. Lib. I. Cap. II.

TABVLA LXV.

MILES GRAECVS.

TAB. LXV. n. I. MILES pereleganti opificio ſculptus, corpore nudus, clypeo & haſta armatus, pendente ex humero chlamyde, GRAECVS cenſetur; ſtatque ante ſignum Palladis, quod columellae impoſitum eſt. Antequam ad bellum milites proficiſcerentur vota Diis nuncupare ſolebant, quae perſolverent ſi victoria potirentur. Minerva Graecis tutelare numen fuit, cui arcem ſacrarunt. Eadem Dea Achilli proelium inituro, ut canit Homerus, (1)

Νέκταρ ἐνὶ στήθεσσι, καὶ ἀμβροσίην ἐρατεινὴν
Στάξε. ———

Nectar in praecordiis, & ambroſiam iucundam
Inſtillavit. ———

TABVLA LXVI.

MILES GALEAM OSTENTANS.

TAB. LXVI. n. III. Milites, qui in bello egregiam navaſſent operam, militaribus donis ab Imperatoribus donari ſolebant. Inter cetera dona galeae quoque enumerantur. (2) Inter has Gemmas plures milites Graeci ſculpti ſunt, qui galeam manibus gerunt, oſtentant, & contemplantur; quare facile crediderim artifices in iiſdem repraeſentare voluiſſe Deiphobum, qui galeam

(1) Iliad. Lib. T. v. 353.

(2) Vide Virgilium in Aeneid. Lib. IX. v. 270.

leam Ascalapho rapuit postquam hasta confossum humi eum stravit, ut narrat Homerus. (1)

TABVLA LXVII.

TROPAEVM A VICTORIA EXORNATVM CLYPEO.

VICTORIA DEA, quam Romani tamquam vigilem imperii custodem, tutelamque praesentem divinis honoribus adfecere, (2) sculpta est in hac Gemma elegantissima ante tropaeum stans, & clypeum ei suspendens, quem hoc titulo inscripsit, VOTIS V. hoc est *Votis Quinquennalibus*. Haud procul Orator, vel Poëta sedet, & caput cubito suo suffulcit, quasi laudes Imperatoris, cui Victoria tropaeum, & clypeum dedicat, meditetur. Exacto quinquennio ab imperii initi die, vota publica pro salute, & incolumitate Imperatoris ubique multiplicabantur, ludi edebantur, sacrificia celebrabantur. Quia vero eo tempore vel Poëta carmen, vel Orator panegyrin recitare coram Imperatore, & eius gesta ad caelum laudibus ferre solebat, ea de causa sculptus est meditabundus vel Rhetor, vel Poëta ante tropaeum a Victoria adornatum. Perpauca verba adferre libet ex Panegyri Nazarii ad Constantinum Imperatorem: *Quintumdecimum annum maximus Princeps salutaris imperii degit; sed auguramur iam vicennalia, & venturi fidem superiorum felicitate sentimus. Quinquennalia beatissimorum Caesarum occupatos in gaudiis habent; sed in destinatis decenniis iam vota properantia, & spes volucres constiterunt*. Et paullo post: *Verum quid agimus, vicenis, aut iam tricenis annis circumscribendo quae aeterna sentimus? Ampliora sunt merita Principum quam optata votorum*. TAB. LXVII. n. I.

(1) Iliad. Lib. XIII.

(2) Vide Claudianum de Laudibus Stilicon.

TABVLA LXVIII.

DVAE VICTORIAE CLYPEVM EXTOLLENTES.

TRiumphantium Regum , & Imperatorum mos fuit in templis Deorum arma , ac ſpolia devictorum hoſtium in perenne gloriae monumentum ſuſpendere ; coronas aureas & argenteas magni ponderis pro gratiarum actione offerre , CLYPEOSQVE dedicare , qui ornati eſſent vel ſua , vel maiorum ſuorum imagine , vel hiſtoria rerum , quas geſſerant , vel inſcriptione . (1) Clypei Imperatoribus dedicati magno cum honore conſecrabantur , ut ex Suetonio in Caligulae vita (2) colligi poteſt : qui haec de eo ſcribit : *Quas ob res inter reliquos honores decretus eſt ei CLYPEVS AVREVS , quem quotannis certo die collegia Sacerdotum in Capitolium ferrent , Senatu proſequente , nobilibuſque pueris ac puellis carmine modulato laudes virtutum eius canentibus* . Veteres inſcriptiones epulum quoque datum in dedicatione clypeorum teſtantur . (3) Nemo vero ignorat quanto apparatu inter Graecos Poëtas Homerus , Heſiodus , Nonnus , inter Latinos Virgilius , Statius , & Silius , ut alios mittam , clypeos ſuorum heroum exornent , & quanta in iiſdem ſculpta fuiſſe narrent . Memoratu dignus clypeus votivus antiquus ex argento puro , pondo librarum viginti duarum , diametri duorum pedum , unciarumque duarum , cuius ſchema exhibit Iacobus Sponius , (4) in quo egregium Scipionis Africani facinus expreſſum , qui captam in expugnatione Carthaginis eximia forma Virginem , Allucio Celtiberorum Principi , cui deſponſata erat , intactam gratis reddidit , ut Livius , & Polybius narrant . Pauſanias adfert epigrammata inſculpta in ſcutis , quae dedicata fuerant in templo Itoniae Palladis , & Iovis Dodonaei . (5) Hanc igitur veterem conſuetudinem clypeos adfigendi , inſcribendique re-

(1) Vide Cl. Senatorem Phil. Bonarrotium in Numiſm. max. mod. Muſei Carpinei pag. 9. 10. 11. 12.
(2) In eius vita Cap. XVI.
(3) Vide Iac. Phil. Thomaſinum de Donariis Cap. XX.
(4) In Miſcellaneis erud. antiq. Sect. IV. pag. 152.
(5) In Atticis Cap. XIII.

repraesentant hae Gemmae, in quibus Victoria vel clypeum inscribit, ut in Gemma I. sequenti Tab. LXVIIII., vel duae Victoriae eum sustinent, atque adtollunt. Aliger Cupido, sive earumdem Victoriarum Genius, inter eas medius, lancem tenet, quasi aequatum laborem a gloria designet; vel, iuxta Homerum, alludit ad Iovis lancem, qua pugnantium sortes expendit, eorumdemque vel victoriam decernit, vel fatum.

TABVLA LXVIIII. LXX. LXXI.

VICTORIA BIGAM AGITANS.

VICTORIA, quae frequenter in antiquis Gemmis occurrit T. LXVIIII. n. IV. bigam agitans, vetustissimum illum bigarum usum repraesentat, in quibus Heroes, ut Homerus docet, pugnare consuevere. Hinc ortae ludorum Olympicorum apud Graecos, ac deinde Circensium apud Romanos celebritates, ut in his fortes viri ad proelia committenda adsuescerent, victoresque summis laudibus celebrati ad gloriam vehementius inflammarentur, ac praeterea palmam, & coronam consequerentur; quae praemia idcirco praefert Victoria sculpta in his Gemmis.

TABVLA LXXII.

SERAPIS ET MINERVA.

DE Sacrificiis in honorem Deorum nonnulla mihi nunc TAB. LXXII. n. I. delibanti ex antiquarum Gemmarum sculpturis, primum insignis Iaspis ex Museo Victorio occurrit, in quo, quod rarissimum, atque animadversione dignum est, MINERVA

sa-

ſacrum faciens SERAPIDIS ſocia eſt, atque, uti de eodem Serapide, Iſide, Anubide, & Harpocrate ſcriptum legimus in antiquis lapidibus, (1) tamquam Dea σύνναιος atque σύνβωμος cum ipſo ſculpta. Minervam SOCIAM magno in honore habitam apud Aeduos Auguſtoduni laudat Eumenius Orator pro Flavienſibus, memoratque ei aram dedicatam fuiſſe in Capitolio, ſimulque cultam cum Iove *Patre*, & Iunone *Placata*. In hac Gemma ambo πάρεδοροι haſtam, ſive ſceptrum tenent, blandoque vultu ſe mutuo conſpiciunt. Minervam a dextris conſidentem perſpicue indicat Meduſae Gorgonis caput, quod pectus eius ornat; Serapidem vero a ſiniſtris notat triceps Orci ianitor Cerberus, nullis vinculis conſtrictus, ſed liber, qui iuxta eum adſtat, ut in aliis vetuſtis monumentis, quae adfert Fabrettus, cernere eſt, (2) & in nummis Antonini Pii, Caracallae, & Gordiani iunioris: nam Plutonem, & Serapidem unum idemque numen eſſe, diverſo ſolum nomine expreſſum, veteres cenſuere, quod luculenter oſtendit idem Fabrettus. (3) Frequentius in vetuſtis ſculpturis Serapis capite gerit modium, ſive calathum; in hac vero Gemma, quaſi Iovem referat divino diademate cinctum, eo minime ornatus eſt. In medio eorum poſita eſt ara accenſa, quam manu indicat Serapis, quaſi focus flammulas bene auſpicatas ad caelum adtollat, quod in ſacrificiis ſollicite obſervabatur; (4) Minerva e patera ſacra libamina in eamdem aram infundit. Eadem quoque Minerva cum Bono Eventu ſacrificat, non vero ſedens, ſed ſtans, ut in Gemma Medicea, quae exhibetur in Tabula LXII. n. II. in primo Volumine Muſei Florentini.

Hoc apoſphragiſmate non dubito auctorem huius Gemmae declarare voluiſſe tum Serapidem, tum Minervam Deos valde beneficos, & ſalutares. Nam Dii σωτῆρες cum in nummis, tum in antiquis ſculpturis hoc modo expreſſi, ſacrificantium ritu pateras porrectis manibus ſuſtinentes, ni mea me fallit opinio, id potiſſimum ſignificare volunt, ſe hominibus bona precantibus faciles aures praebere, eorumque ſaluti, & fortunis conſulere, & ultro dona dare & accipere.

Singulis humani corporis male affectis membris Deos praeeſſe veteres crediderunt; idque teſtantur appenſae in templis infir-

(1) Vide Fabrettum Inſcript. antiq. Cap. VI. num. 182. 183. 185.
(2) Inſcr. ant. Cap. VI. pag. 467. 468.
(3) Ibidem.
(4) Ex Ovidio de Ponto Lib. IV. Eleg. IX. Vide Saubertum de Sacrificiis Veterum Cap. XVI.

firmarum partium imagines, quae in eis inventae ſunt, & inter cimelia complurium Muſeorum nunc adſervantur, ut oſtendit Fabrettus. (1) In tutela Iſidis pedes fuere; Serapidis numen pedibus podagra, manibuſque chiragra laborantibus praeeſſe creditum eſt, ut ad Gemmam I. Tabulae LV. primi Voluminis Muſei Florentini oſtendi. (2) Minerva vero capillis, & auribus praefuit, (3) itemque digitis, ut docet Servius, (4) qui ei dedicati ſunt: nam, ut Proclus in Timaeum notat, non tantum vaticinia, verum etiam ſanationes in eius cura fuere; quare cognomento MEDICA in vetuſtis inſcriptionibus, & MEMOR dicitur, (5) quae ſupplicantibus praeſto fuit, & e gravi infirmitate eos liberavit; quamobrem Serapidis comes facta.

SACRVM PRIAPO ET VENERI facit vir nudus ad ardentem aram, arietem mactans. Priapi hermeum ſimulacrum, & ara iuxta arborem poſita eſt, ritu antiquiſſimo, ut alibi obſervavimus. Venus, cuius ſiniſtram manum Cupido complectitur, dextra ſublata coronam praefert, fortaſſe myrteam. Huius Gemmae opus antiquum mihi non videtur, multa tamen venuſtas, & elegantia illud commendant. TAB. LXXII. n. II.

TELLVRI DEAE SACRVM, ut auguror, exhibetur in hac Gemma eximii operis; quod eo geſtu brachii eadem Dea probare videtur. Amicus quidam meus putat referre ſacrificium, quod Potitii, & Pinarii in honorem Herculis inſtituerunt. n. III.

T A B V L A LXXIII.

MONS ARGAEVS IOVI SACER.

MONS ARGAEVS omnium altiſſimus, ac maxime arduus, (6) ſolemne eſt Caeſarienſium Cappadociae inſigne; quem frequenter exhibent in nummis tamquam peculiare numen; in cuius vertice veluti Diis loci, Vrbiſque T. LXXIII. n. I.

ad

(1) Inſcriptionum Cap. VI. pag. 469. & 470. 471.
(2) Vide Obſervationes pag. 115. & 116.
(3) Lege Illuſtr. Gisbertum Cuperum ad Inſcript. & Marmora antiqua expoſita, & illuſtrata pag. 300. 301.
(4) Ad Lib. III. Aeneid. v. 607.
(5) Apud Gruterum p. LXXXI. MLXVII. 3. 4. Apud Reineſium Cl. XI. n. 81. & 98.
(6) Strabo Geogr. Lib. XII.

ad eius radices ſitae Geniis, adulationis cauſa, Imperatoribus ſimulacra dedicare conſueverunt, ut complura numiſmata oſtendunt: in hac vero Gemma non alicuius Imperatoris, ſed Iovis, cui ſacer erat hic mons, ſigillum eius vertici impoſitum eſt, & quidem ſine fulmine, ſolo ſceptro, ſive haſta verendi.

Hi montes ceteris editiores magno in honore Ethnicis fuere; forte, ut coniicit doctiſſimus Senator Philippus Bonarrotius, (1) quia traditione acceperant in ipſis Sanctos Patriarchas ſacrificaſſe: ſed eos profanaverunt delecto eorum vertice, in quo Iovi potiſſimum ſacra facerent, accenſo thymiamate, ſub umbra quercus, vel populi, vel terebinthi, ut ait Oſeas. (2)

Sol, & Luna utrinque ſculpta, montis altitudinem declarant, ut idem Bonarrotius erudite obſervat. Sunt etiam Strabone teſte, circa hunc montem quidam hiatus, e quibus flammae erumpunt, qui etiam in hac Gemma expreſſi ſunt.

T. LXXIII. n. II. SACERDOS FEMINA ad aram ſtans, dextera vaſculum gerens, exquiſitiſſimo artificio inſcalpta eſt Sardae e Dactyliotheca Strozia. Ara praealta eſt, ἄπυρος, & incruenta; inter eas numeranda, in quibus nulla victima apponebatur, nec ignis accendebatur, ſed placentae offerebantur, atque croco, balſamo, oleo omnibuſque odoribus perfundebantur. (3)

n. III. VICTORIA VITVLVM SACRIFICANS ante ſignum Dianae Virginis, eiuſque caput ſurſum trahens, ut caelum reſpiciat; quod veteres obſervabant quum maiorem victimam caedebant in honorem ſuperorum Numinum; huncque ritum ἀναῤῥύειν dicebant; unde ἀνάῤῥυσις Athenienſium feſtum, & in genere ſacrificium: & ἀναῤῥύω non tam ſurſum traho, quam ſacrifico. Minoris vero victimae collum refringebant; & in ſacris Deorum inferorum caput ſupprimebant, ut terram intueretur. (4) Victoria vitulo ſuperimpoſita inter egregia Myronis opera laudatur. (5)

n. V. GLADIATOR BVSTVARIVS ante ſepulcrum dimicans, in genu lapſus, caput ſcuto defendit. De Buſtuariis, qui ad placandos ſanguine ſuo Deos Manes circa ſepulcra defunctorum pugnabant, nihil quod ab aliis notatum non fuerit occurrit. Hanc ipſam Gemmam in lucem protulit, & illuſtravit Auguſtinius, & Maffeius. (6)

TA-

(1) In Obſer. in Numiſ. max. mod. Tab. XI. n. 2. pag. 231.
(2) Cap. IV. v. 12. 13.
(3) Vide Saubertum de Sacrificiis Veterum Cap. XV.
(4) Ex eodem Sauberto de Sacrificiis Cap. XIX.
(5) Tatianus Orat. adverſus Graecos.
(6) Gemm. ant. Par. III. Tab. LXXXVII. pag. 160.

TABVLA LXXIV.

TIBICEN CANENS ANTE DEAM ROMAM.

DE ſerpentibus, qui aris ardentibus in ſacris Aeſculapii, & Hygiae, vel ad captanda auguria admoveri ſolebant, ea vide quae alibi adnotavimus; (1) quare in his adſimilibus Gemmis, quae tum in Tabula LXXIII. n. IV. tum in hac Tabula LXXIV. producuntur, lectorem non moror. Pauca dumtaxat adferre libet ad Gemmam IV. in qua Tibicen canit ante ſimulacrum Deae Romae; qui fortaſſe ſculptus videtur in memoriam eius temporis quando Tibicines a Tribunis militum privati ingentibus honoribus, queis Numa eos ornaverat, Roma Tibur ſeceſſerunt, ac poſtmodum deſiderati, & acciti, quod nemo ſacrificiis praecineret, aſtu liberti Romam univerſi reducti ſunt, iiſdemque permiſſum ut quotannis floridis, ac muliebribus veſtibus amicti per urbem circumirent, ut docet Plutarchus. (2) Horum Collegium Romae celebre fuit; nam ſacris publicis praeſto erant, ut docent veteres inſcriptiones. (3) TAB. LXXIV. n. IV.

TABVLA LXXV.

VIRGINVM NVPTIALES CHOREAE.

SPonſa praecinentibus tibiis, & quinque facibus praelucentibus in thalamum viri deducta, atque a pronuba matrona in geniali lecto conlocata, virgines ante oſtium floribus, frondibuſque exornatum, epithalamium carmen canebant, laetiſque vocibus Hymenaeum nuptiarum praeſidem Deum invocabant, TAB. LXXV. n. I.

Q

(1) Vide Obſervationes in Tab. LXVIII. primi Voluminis Muſei Florentini pag. 136.

(2) Quaeſt. LV.

(3) In Gruteriano Theſauro pag. CLXXV. 10.

bant, & feſtas choreas ducebant. Hoc nuptiale tripudium, ut arbitror, repraeſentat haec Gemma elegantiſſima, cuius ſculptura aliquibus antiqua non videtur, quamvis cum hoc antiquo nuptiarum ritu, quem exhibet, minime pugnet. Quatuor igitur Virgines, quae zonulam nondum ſolverunt, manibus mutuo complexae, choreas agunt circa ardentem taedam humi defixam, quam unaquaeque virgo quatit ut ſplendidas exerat comas; idque ſingulae facere videntur quum ante eam ſaltantes tranſeunt. Illuſtrari haec omnia poſſunt Catulliano epithalamio, in quo Hymenaeus invitatur ad nuptias, & hortatur ut ſaltet, & manu quatiat taedam.

Cantato epithalamio fores cubiculi nuptialis claudebantur, & Virgines diſcedebant. Fax illa praealta eam indicare poteſt facem, quam veteres Iunoni Sponſae, ac Pronubae tribuunt; Virgineſque manus in nodum conſerentes vincula coniugalia referre poſſunt. Hinc Statius de Stellae, & Violantillae coniugio: (1)

————————— *dat Iuno verenda*
Vincula, & inſigni geminat concordia taeda.

TAB. LXXV. n. II. FEMINA PHIALAM ET LEBETEM OFFERENS. Signum columellae ſuperpoſitum adeo perparvum eſt ut paene oculos fugiat. Referre tamen mihi videtur athletam victorem, nam palmam manibus tenet. Divinis honoribus colebantur victores athletae, ut omnes eruditi norunt. Ante ſimulacra eorum a Poëtis laudes canebantur; atque adhuc vivi heroes habebantur conſecrabanturque. (2) Si quis vero cenſeat hanc feminam non phialam, & lebetem offerre athletae victori, ſed luſtralem aquam, qua ante ſacrificium veteres ſe purificabant, praeferre ante Dei ſignum, non repugno. Vaſa, quae ad hunc uſum in templis habebant, Graeci περιῤῥαντήρια nuncupant. (3) Huic perſimilis eſt Gemma IV. quae in ſequenti Tabula LXXVI. exhibetur.

Gemma V. relata in hac Tabula LXXV. & I. in ſequenti Tabula LXXVI. ſummorum artificum praeſtantiam aemulatur; verum Valerii Vicentini Gemmarum ſcalptoris ſua aetate periſſimi opera cenſentur.

T A-

(1) In Silvis Lib. I.
(2) Vide Lucianum de Gymnaſ. Horat. Carm. Lib. I. Ode I. Cicer. pro Flacco Pind. in Olymp. Plin. Lib. VII. Cap. XLVII.
(3) Ex Herodoto Lib. I. Clemente Alexandr. Stromat. Lib. I.

TABVLA LXXVI.

VENATOR ANTE AEDICVLAM DIANAE.

HEroem VENATOREM, e numero eorum quos valde celebrat antiquitas, exhibet haec Gemma longe elegantissima, qui adstat ante aediculam Dianae Venatricis, vel Apollinis super congestis saxis erectam. Venabulum, sive hastam tenet; caput vero opertum habet petaso venatorio, ad pedes adest canis eius comes. Venationis studium in animum heroum a Deo immissum non semel docet Homerus. Veterum quoque monumentorum auctoritate perspicue intelligimus Venatores cum ante itum ad venationem, tum post reditum sacra Diis, qui venationi praesidebant, fecisse, eisdemque vota nuncupasse. MELEAGER, sive PELEVS aliquibus videtur expressus in hac Gemma. T. LXXVI. *n. III.*

TABVLA LXXVII.

FEMINA AD TVMVLVM IMMOLANDA.

GEmma in qua sculpta est FEMINA velato capite, strictoque dextera manu pugione, quasi iam iam sibi necem inlatura ante tumulum, quem indicat columella, cui urna cineraria imposita est, non solum antiqua est, verum etiam Graeci artificis exquisito opificio insignis; quae mihi referre videtur POLYXENAM, quam ad tumulum ACHILLIS mactatam fuisse a Neoptolemo docet Tabula Iliadis, (1) quam Fabrettus, & Begerus illustrant, & Pausanias, (2) & Euripides. (3) Verum Philostratus (4) T. LXXVII. *n. I.*

 mihi

(1) Num. CXIV. Vide Fabrettum pag. 379. Begerum n. LXV. pag. 61. & 62.
(2) In Phocicis Cap. XXV.
(3) In Hecuba v. 220.
(4) In Vita Apollonii Lib. IV. Cap. V. & in Heroicis, in ACHILLE.

mihi auctor eſt, qui quidem duobus in locis adfirmat non a Neoptolemo mactatam fuiſſe, ſed ſua ſponte, amore ſcilicet impatientem, ſibi manus intuliſſe; cui opinioni, ac teſtimonio favet haec perrara ſculptura Achatae Sardonychi expreſſa anaglypho opere. Nam haec virgo nobiliſſima pugionem manu ſua ſtringit, atque ante ſepulcrum operto capite palla adſtat. Ad pedes eius iacet urnae, ut videtur, operculum.

T. LXXVII. n. II. MINERVA POLIAS, Athenarum cuſtos, in porticu ſculpta eſt, non ſtantis, ſed ambulantis ſpecie: laeva clypeum & haſtam, ſiniſtra oleae ſurculum tenet, inſigne monumentum certaminis quod cum Neptuno habuit de Attica. [1] Hinc ut arbitror, ΘΑΛΛΟΦΟΡΟΣ, dicta; cuius meminit Xenophon in Sympoſio.

n. III. ΣΑΡΑΠΕΙΟΝ, TEMPLVM SERAPIDIS, qui idem eſt ac Iuppiter, adeoque in ſolio ſedet, adſtante aquila. Romae huic Deo Salutari aedem dedicavit M. Aurelius Antoninus, ut docet vetus inſcriptio penes Gruterum. [2] Iuxta Capitolium, ut colligo ex duabus inſcriptionibus Gruteriani Theſauri, [3] aliud quoque templum Serapidi dedicatum fuit, quod columnis, cum epiſtylio, & introitu ornarunt Sex. Pompeius Primitivus, & M. Vibius Saturninus, voto ſuſcepto pro ſalute eiuſdem Imperatoris M. Aurelii Antonini.

n. V. SACRVM GENIO IOVIS, quod ſuffimentis factum indicat ara ante eum accenſa. [4] Primum mero, thure, & floribus ſine caede, poſtmodum vero immolatis quoque victimis veteres eidem litaſſe ſatis ſuperque conſtat. Ara feſtivo encarpo coronata eſt. Quod vero Iovis Genius ſit (nam ſingulis Diis Deabuſque Genios famulos, & comites adſignatos fuiſſe compertum eſt) [5] perſpicue declarat regia Iovis miniſtra aquila, quae eius brachio inſidet. Arnobius [6] Genium *Iovialem* appellat. Columnae cubito innititur, & haſtam ſive ſceptrum tenet. Praecipuum vero Genii ornamentum, & inſigne ſunt alae; adeoque & ipſe inter Deos *Alatos* numerandus, quos recenſet nobiliſſimus Gisbertus Cuperus. [7] Genio quoque Theatri alas dederunt veteres, ut oſtendit iam edita rariſſima Gemma e Medicea Dactyliotheca. [8]

Non

(1) Vide Pauſaniam in Atticis Cap. XXVI. & XXVII.
(2) Pag. LXXXV. 6.
(3) Pag. LXXXV. 3. 4.
(4) Vide Cenſorinum de die Natali. Horatium Carm. Lib. III. Ode XVII. Epiſtol. Lib. II. v. 144. Fabrettum Inſcr. ant. Cap. II. pag. 73. & ſeqq. & Cap. V. pag. 360.
(5) Vide Martianum Capellam Lib. II. Plutarchum de Orac. defectu; Gisb. Cuperum in Monum. ant. pag. 242. 243.
(6) Lib. III. adverſus Gentes.
(7) In Commentario in Apotheoſin Homeri pag. 169. & ſeqq.
(8) Tab. XLIV. n. VII. Vol. I. Muſei Flor.

Non raro etiam , ut complura numiſmata oſtendunt , in quibus eius imago expreſſa eſt , ἄπτηρος cernitur .

T A B V L A LXXVIII.

M I T H R A.

DEVM INVICTVM MITHRAM exhibet haec inſignis Gemma utrimque ſculpta , quam luculenter illuſtrat Leonardus Auguſtinius , & Paulus Alexander Maffeius , quibus ſi addas eruditiſſimas obſervationes Philippi a Turre Adrienſis Epiſcopi , nihil omnino ſupereſt quod dictum obſervatumque non fuerit . Mithra Solem ipſum refert ; eaque omnia ſymbola , quae circa eum ſculpta ſunt , ad omnium rerum generationem , & conſervationem referuntur . Stellae ſeptem duplici ordine diſpoſitae ſunt , & Planetas deſignant , quorum Sol dux , princeps , & moderator eſt . Deorum quoque arma circa Mithram ſculpta , nempe Iovis fulmen , Mercurii caduceum , Dianae ſeu Apollinis ſagitta , Martis gladius , Perſei harpe ; ac praeterea animalia , quae iiſdem Diis ſacra ſunt , aquila Iovi , teſtudo Veneri , corvus Apollini , delphinus Neptuno , ſcorpius Marti ; cornu erectum , & inverſum , & quidem vacuum ; Solis & Lunae capita , quaſi eorum vi , & poteſtate omnia generentur , ac conſerventur . T. LXXVIII. n. I.

In averſa parte ſculptus Leo , qui Solis imago eſt , cuius os intrat apis . Circa eum ſculptae quoque ſeptem Stellae , quae ſex litteris clauduntur , quae forte Angelorum nomina deſignant , ut Baſilides aliique haeretici commenti ſunt . Quandoque tauri caput eiuſdem Leonis ori proximum eſt , quod animal generationis ſymbolum eſt , atque ex eo procreari apes ferunt , quae ſunt animarum ſymbola , ut docet Porphyrius . Idem quoque animal quia Lunam refert capite ſuo , in Gemma III. ſculptus cum aſtro Solis , & Lunae in vertice capitis .

Mithrae arcana ſacra multiplicia fuere , nimirum *Leontica* , *Coracica* , *Patrica* , *Perſica* , *Eliaca* . In his faces , & lucer-

nae

nae adhibitae ; nam in antris , ac ſpelaeis , & ſubterraneis locis peragebantur : nec quiſquam iiſdem myſteriis initiabatur niſi antea per octoginta cruciatuum gradus probatus fuiſſet ; quo probationum tyrocinio perſoluto , eodem ornatu Perſico , cum tiara , & chlamyde , uti Mithra ſculptus eſt in hac Gemma , ad aram admovebatur , eidemque dextro genu inſiſtens fictum martyrium ſubibat , palmaque & corona donabatur : quod ſacrum exhibent complures quoque arculae ſepulcrales noſtrorum veterum Etruſcorum , apud quos maxime in uſu fuit . (1) Perquamlibenter his ſacris Ethnici initiabantur , quia credebant omni poena carituros initiatos poſt mortem , nec Orcum ſubituros , ſed ad Elyſiorum camporum beatitudinem convolaturos . (2) Sed de his ſacris alibi accuratius atque luculentius erit agendi locus .

TABVLA LXXVIIII.

LVDI CIRCENSES.

VEterem omnem priſcarum gentium religionem quatuor potiſſimum rebus , Sacrificiis , Epulis , Ludis , Feriis conſtaſſe nemo eſt in ſtudio eruditionis , & antiquitatis aliquantulum verſatus qui ignoret . Igitur poſt Sacrificia Deorum , ex antiquarum Gemmarum ſculpturis a nobis declarata , ad LVDOS CIRCENSES , GYMNICOS , & SCAENICOS gradum facere non abs re duximus .

Spectaculorum celebritate & frequentia nihil apud veteres fuit optabilius , nihil iucundius . Graeci amore effuſi in Olympicos ludos , Romani in Circenſes . De Circo , eiuſque ludis , & ſacris , ac religioſis ornamentis nihil dicam , occupata iam ſparta a viris doctis , ac praeſertim a magno illo ſtudii antiquitatum amplificatore , & interprete ſumma cum laude ſemper memorando Onuphrio Panvinio . Haud igitur lectores detinebo in explicanda hac Gemma operoſiſſima , in qua tam inſigni artificio ſculptae

ptae

(1) Vide Sen. Phil. Bonarrotii ad Monumenta addita operi Dempſteriano Explicationes §. XXIV. pag. 32.

(2) Ex Iamblico de Myſter. Sect. II. Cap. VI. & IX. & Apuleio Metamorph. Lib. XI.

ptae ſunt non modo currentes quatuor factionum quadrigae, ſed etiam Circi aliqua praecipua ornamenta, quae in ſpina conſpiciuntur, nempe obeliſcus Soli ſacer, menſa tripus encarpis ornata cum apophoretis, Victoriarum ſimulacra columnis impoſita, ara, & aedicula Soli dedicata, delphines, meta utrimque conſtituta cum ternis ſummitatibus. Quod vero rarum, & animadverſione dignum eſt, duo tropaea ad extrema eiuſdem ſpinae erecta ſunt, quae profecto in omnibus iconibus Circi, & Circenſium ludorum, quae ex antiquis nummis, & marmoreis ſculpturis proferuntur a Panvinio deſunt, praeterquam in marmorea Tabula, quae Fulginii exſtat in Praetorio urbis: quae quidem non eo in loco, ſed ſupra faſtigium aedificii vel moeniani, in quo Aediles, ut arbitror ſpectabant, erecta ſunt; adeoque huius Gemmae auctoritate inter ornamenta Circi, quorum non meminit Panvinius, recenſeri poſſunt, niſi tamen ex ingenio ſuo ea addiderit ſcalptor, quod minime crederem. Vtrum vero ab aliquo Imperatore poſita fuerint quaſi devictarum gentium monumenta, haud facile dixerim. De Traiano ſuſpicari aliquis forte poterit, a quo ſuperatis Dacis, ſcimus, Dione auctore, ſpectacula magnificentiſſima per centum & viginti dies Romae edita; ad quem etiam referri poteſt *Ludus Dacicus*, qui inter Romana aedificia a P. Victore numeratur in tertia Regione.

TABVLA LXXX. LXXXI.

BIGARVM AGITATORES.

BIGARVM AGITATORES ſculpti in hac Gemma, proni inſiſtunt equis, quos flagello, & habenis moderantur. Pectus habent loris munitum, non vero, ut interdum ſolebant, iiſdem equorum habenis circumplicatum, quod faciebant ut excidentes evibrarentur a loris longe a curriculo. Capite galeam aeream gerere mihi videntur, quae in uſu fuit. Aurigae quadrigarum in Gemma paullo ante deſcripta galericulum, TAB. LXXX. n. I.

lum, ſeu petaſum gerunt ornatum pinna, quae etiam capiti equorum inſerebatur, ut antiqua numiſmata, & marmorea anaglypha oſtendunt. Iiſdem quoque pinnis ornatos ad pompam deſcendere conſueviſſe gladiatores, & laniſtas docet Iuvenalis, ac vetus eius interpres. (1) Non raro etiam operto capite aurigaſſe teſtantur veteres ſculpturae atque Gemmae, inter quas ſpectanda ea eſt quae n. III. in hac eadem Tabula LXXX. affertur, & in ſequenti LXXXI. n. III. Hoc modo expreſſi Aurigae victores Eutymius, & Philocamus, qui etiam *Dominus* appellatur, ut videre eſt in nummis Neronis, & Severi Caeſarum. (2)

Circenſium bigarum equis addita fuiſſe tintinnabula appenſa in pectorali faſcia, ut acrius ad ocyorem curſum incitarentur, adnotavimus ad marmorei Sarcophagi fragmentum in Deſcriptione Monumenti, ſive Columbarii Libertorum, & Servorum Liviae Auguſtae & Caeſarum. (3)

TAB. LXXX. n. III. EQVVS SINGVLARIS ET DESVLTORIVS, qui in Gemma III. Tab. LXXX. exhibetur, ſingulis bigis, & quadrigis addebatur, qui vel miſſum nunciaret, vel aurigas comitaretur tamquam miniſter, & adhortator, victoriae tamen praemio carens. De his videndus Panvinius, qui Ciceronis, Dionyſii, Suetonii, & Iſidori affert teſtimonia. Hunc additum putat Caſſiodorus, (4) quod ita imitari credebant *Luciferi praecurſorias velocitates*. In compluribus anaglyphis ſculpturis, quae Circenſes exhibent, iuxta quadrigarios, vel bigarios agitatores ſculpti viſuntur.

TAB. LXXXI. n. I. DESVLTORES ii erant qui duobus equis quam ocyſſime currentibus ex uno in alium ſumma dexteritate, ac peritia tranſiliebant; qui ludus non apud Graecos modo, verum etiam apud Romanos maxime celebris fuit. Eiuſdem fit mentio in Graeca inſcriptione, quae inter Antiquitates Aſiaticas affertur ab eruditiſſimo Edmundo Chishullo; memoratque Pylemenem regis Amyntae filium populo epulum, ac ter ſpectacula dediſſe ΑΓΩΝΑ ΓΥΜΝΙΚΟΝ ΑΡΜΑΤΩΝ ΚΑΙ ΚΕΛΗΤΩΝ *certamen gymnicum, currruum, & equorum deſultorum*. Fuere homines adeo periti, inter quos Libes numerandi ſunt, teſte Strabone, qui plures equos ſine freno currentes, ſola virga continerent, & moderarentur. Hos, ut arbitror, refert Gemma I. quae in Tabula LXXXI. exhibetur,

(1) Satyr. III.
(2) Apud Panvinium de Ludis Circenſibus Cap. XII. pag. 26.
(3) Vide Tab. XI. litt. B. pag. 27. 28.
(4) In Epiſtola ad Fauſtum.

tur, quam primum vulgavit Leonardus Auguſtinius, iterumque Paulus Alexander Maffeius, quique eam illuſtrarunt. (1) Inter opera Canachi egregii ſtatuarii laudat Plinius Pueros κελητίζοντας *deſultores*. (2) Deſultorum ludum Romani in Circo in honorem Caſtoris ea de cauſa dedicarunt, quod ille ſua & fratris vice fungeretur. (3)

TABVLA LXXXII.

VENATIONES.

DVOS GENIOS venationi indulgentes exhibeo in hac Gemma Medicea; quorum alter cervos, alter vero aprum, & vulpem canibus inſequitur. Veteres artifices ut varia humanorum animorum ſtudia, & adfectus ob oculos ponerent, ex Platonicorum ſententia, Genios variis artibus & exercitationibus operam dantes, pro ut quiſque maxime delectatur, expreſſerunt. Nam Genium, Deum eſſe, in cuius tutela ut quiſque natus eſt vivit, ac vim rerum omnium gerendarum obtinere putarunt. (4) Hunc natali die thure, mero, floreis ſertis, unguentis, ac luminibus coluere; multaque prece eum invocarunt; (5) eumdemque non ſolum vivis hominibus, verum etiam defunctis praeeſſe exiſtimarunt; (6) quorum animas a corpore ſeiunctas etiam apud Elyſios in iiſdem ſtudiis, & artibus, quibus in hac vita delectatae fuere, operam dare finxerunt: quare Virgilius Elyſiorum ſedem deſcribens ex Platonicorum diſciplina, ita ait: (7) T. LXXXII. n. I.

Pars in gramineis exercent membra palaeſtris,
Contendunt ludo, & fulua luctantur arena:
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.

R Ac

(1) Gemmar. Figur. Par. IV. Tab. LII. pag. 77.
(2) Lib. XXXIV. Cap. VIII.
(3) Ex Hygino Aſtronomic.
(4) Ex Cenſorino de die Natali Cap. I. Vide Fabrettum Inſcr. ant. Cap. II. pag. 73. & ſeqq.
(5) Ex eodem Cenſorino, Tibullo Lib. IV. Carm. V. Plauto in Prol. Aulular. Ovidio Lib. III. Triſt. Eleg. XIII. & Lib. V. Eleg. V. Vide C. Theod. de paganis ſacrif. & templis.
(6) Fabrettus loco ſuperius citato multas adfert inſcriptiones Genio defunctorum dedicatas.
(7) Aeneidos Lib. VI. v. 642.

Ac paullo poſt : (1)

——————— quae gratia currum
Armorumque fuit vivis , quae cura nitentis
Paſcere equos , eadem ſequitur tellure repoſtos .

Hinc in ſepulcris ſculpti Genii , qui gymnicis exercitationibus incumbunt in palaeſtra ; frequenter in Circenſibus ludis agitant currus ; nunc lyra canunt , tropaeum exſtruunt ; clypeos , caſſides , thoraces , haſtas , aliaque arma militum fabricant ; nunc coronas nectunt , Deorum aediculas floreis ſertis ornant , feras in venatione conſectantur , atque conficiunt ; piſcium piſcatui ſedulo vacant .

TABVLA LXXXIII.

LVDI GYMNICI.

QVamvis in antiquis Gemmis , atque in ſculpturis anaglyphis vel ex ebore , vel e marmore frequentius expreſſi ſint Pueri gymnicis certaminibus , ac ludis , qui in Circo , & in Amphitheatro fieri ſolebant , operam dantes ; non tamen credendum eſt ſolos Pueros iiſdem vacaſſe . Sunt enim complura certamina , quae a Pueris exerceri minime poſſunt . Inter haec recenſenda eſt Ταυροκαθαψία , nempe *Taurorum venatio* , quae ab equitibus fieri ſolebat . Haec a Theſſalis primo inſtituta , tamdem imperante Iulio Caeſare in Circo Romano , ac deinde per alias etiam civitates in ſpectaculum dabatur . Hanc tamen in marmoreo anaglypho edito inter marmora Oxonienſia (2) exhibent quinque Pueri , qui tres Tauros proſternere , ac ſibi ſubiicere egregia animi virtute , ac robore nituntur . Genio artificum magis adriſit pueros , quam iuvenes , aut viros fingere in his ludis ſe ſe exercentes .

Ho-

(1) Aeneid. Lib. II. v. 653.

(2) In Notis ad marmor Ταυροκαθαψίων pag. 266. n. CXXX.

Homunciones ſenes, pileati, nudipedi, gibbi, qui ſpectantur in Gemma I. huius Tabulae diſcum longe a ſe iaciunt; atque, ut videtur, quaſi mimi Diſcobolorum, ludicram aliquam exercitationem ad exhilarandos ſpectatores edunt. T. LXXXIII. n. I.

PVERORVM AD LVCTAM INSTITVTIO exhibetur in his Gemmis; quarum altera relata numero II. iam edita eſt, & luculenter illuſtrata a Leonardo Auguſtinio, & a Paulo Alexandro Maffeio. (1) Gymnaſtes adſtat cum flagello, ut errantes caſtiget. n. II. IV.

In altera vero Gemma IV. ante oculos PVERORVM PVGILVM propoſita ſunt praemia, nimirum vaſculum, & palma; quare facile crederem adſtantem illum virum dextera manu gerentem non flagellum, ſed virgam, referre non Gymnaſten, ſed Agonothetam certamini praeſidem, cuius iudicio victores praemia adſequebantur; quod etiam clarius oſtendit perpulchrum anaglyphum marmorei Sarcophagi, quod exhibet Iacobus Sponius. (2) Pueri pugiles in genua lapſi ſunt; alius vero alio fortior adverſarii caput ad terram proſternere ſtudet. Fortium Athletarum ea laus maxima fuit, certaque victoriae ſpes non inclinari, non dimoveri loco, neque in genua concidere. In veteri lapide Gruteriani Theſauri laudatur M. Aurelius Aſclepiades Pancratiaſtes, quod ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΗC. ΑΛΕΙΠΤΟC ΑCΙΝΕΞΩCΤΟC ΑΝΕΚΚΛΗΤΟC, *per omnia victor, inexpulſus, non inclinabilis fuerit*. (3) n. IV.

ATHLETAE SPARTEAM RESTEM DVCENTES nunc primum ſpectandi ſunt in hac Gemma rariſſima; quae exercitatio luduſque in palaeſtris valde celebris fuiſſe videtur. Igitur Athletae, ut roboris periculum facerent, ſpartea reſte, ſeu fune in medio duorum tigillorum ligato, ſummo conatu hinc atque hinc certantes, tamdiu illum ad ſe trahere ſtudebant, donec aut rumperent, aut alteruter viribus feſſus, ac deſtitutus adverſario cederet; vel gradu ſuo, in quo conſiſtere debebat, excideret; vel omiſſa tigilli prehenſione in nates caderet: quod ſi contigiſſet ſpectatorum riſus non iniucundo ſpectaculo excitabatur. Hoc Athletarum certamen indigitat Plautus in Poenulo: (4) n. V.

Iamne hoc tenetis? ſi tenetis, ducite;
Cave dirumpatis:

 In

(1) Gemm. antiq. figur. Par. IV. Tab. LV. pag. 87. 88. 89.
(2) In Miſcellan. erud. Ant. Sect. VI. pag. 218.
(3) Pag. CCCXIII. 10.
(4) In Prologo v. 110.

In quem locum vide Taubmannum , & Pareum . (1) Adludere quoque huic ludo videtur Horatius : (2)

Imperat , aut ſervit collecta pecunia cuique ,
Tortum digna ſequi potius , quam ducere funem .

Meminit huius ludi Ariſtides Sophiſta , & Tertullianus de fune contentionis agens . (3) De eo quoque luculenter Ioſephus Scaliger in Varronem , (4) quem conſules ſi plura cupis .

TABVLA LXXXIIII.

MERCVRIALIS PVER.

T. LXXXIIII. *n. III.* PVER MERCVRIALIS arieti inſidens , indutus chlamyde , ad equeſtres ludos in honorem Mercurii , ni fallor , inſtituitur a ludimagiſtro , qui ad eum accedit , atque cum eo colloqui videtur . Aries in tutela Mercurii fuit ; quare hic Deus Κριοφόρος dictus , quod eum geſtare ſoleret , ut conſtat ex Pauſania , qui eius ſimulacrum deſcribit . (5) Eodem modo equeſtre certamen in honorem Liberi Patris pueri ad eius templum celebrare ſolebant , hircis , qui eidem ſacri ſunt , inequitantes ; quod ludicrum certamen eleganter deſcribitur ab Anyte Poëta Graeco in veteri Anthologiae epigrammate . (6)

n. II. Vir peregrinus camelo inſidens , & facem praeferens , noctu ita editum aliquem ludum forte indicat . Ptolemaeus Lagi filius duas res novas in Aegyptum adducturus , poſt alia multa ſpectacula Camelum Bactrianam totam nigram , auro , purpura , & gemmis ornatam , & hominem per medium nigrum , & album exhibuit ; quod aliis riſui , aliis horrori fuit , teſte Luciano in Prometheo .

TA-

(1) Item in Lexico , atque in Electis .
(2) Lib. I. Epiſt. X.
(3) In princ. Libri adverſus Iudaeos , & Lib. de Pudicit. Cap. II.
(4) De Re Ruſtica Lib. III.
(5) In Eliac. prior. Cap. XXVII. & in Boeoticis Cap. XXII.
(6) Lib. I. Cap. XXXIII. n. 28.

TABVLA LXXXV.

CITHAROEDVS.

CITHAROEDVS ſedens citharae fides hinc dextera manu, illinc ſiniſtra variantibus digitis oberrat, altera videlicet graviores, acutiores altera. Citharam ſuſtinet ſupra dextrum genu poſitam. Plectro non utitur, quod dextera manu tenebant ſi eo utebantur, ut ex Philoſtrato, qui Orphei pſallentis imaginem deſcribit, (1) & ex antiquis ſculpturis colligi poteſt. Tres fuere apud veteres fidibus accinendi modi, quos notat Pindari Scholiaſtes. (2) Primus quum pulſatis fidibus ſuccinebant πρῶτον ἔκρουον εἶτα ἐπῇδον: ſecundus quum voce ſimul ac fidibus concinebant: tertius quum prius voce ſimul & fidibus canebant; poſtea ſola voce idem cantitabant. Ex his modis poſtremus in uſu eſſe deſiit; reliqui duo etiamnum uſurpantur, ut obſervat vir praeſtantiſſimus Ioannes Baptiſta Donius. (3) Citharoedi in certaminibus victores non plauſu ſolum, & oſculis, verum etiam magnis praemiis honorabantur, ac ditabantur. Citharoedum puerum victorem palma donatum, atque honoris cauſa curru vectum exhibet Gemma III. ſuperius adlata in Tabula LXXXIII. A pueris citharam pulſantibus plectroque cunctas ſimul fides curſim ferientibus adhibitos fuiſſe modos anapeſticos, quum hymnus in honorem Dei caneretur, notat Athenaeus. (4) TAB. LXXXV. n. I.

PENTATHLVS VICTOR, membrorum vigore pollens, ſtat, dexteraeque manus digito indicat nobilem palmam in urna repoſitam, quam adeptus eſt; eamque cum voluptate contemplari videtur tamquam virtuti ſuae debitum praemium, qua adhuc vivus inter heroas conſecratur. Laeva manu ſtrigilem tenet, quaſi ſudorem, pulverem, oleumque, quo ſe unxerat ante certamen, ſit deterſurus. Athletae in aliptorio per ſe ipſos potius quam per ſervos tum ante exercitia, tum poſt oleo ſe perungebant, n. II.

(1) In Iconibus.
(2) Ad Odem II. Olympicor.
(3) Cap. VIII. Lyrae Barberinae, quod opus omnigena eruditione, compluribuſque Iconiſmis aeri inciſis refertum adhuc ineditum publici iuris faciam.
(4) Lib. IV. Cap. VII.

gebant, fordefque corporis cum ftrigili deftringebant. Si omnia illuftrare voluero, Hieronymi Mercurialis viri doctiffimi fcrinia expilare neceffe erit: fi quis vero legerit eius Libri I. Caput VIII. de Arte Gymnaftica, perfpicue intelliget quantum eruditionis fit in hac Gemma elegantiffima. Corona pectoralis in modum torquis appenfa Hermae fimulacro facile effe poteft praemium eidem Pentathlo datum; nam in his fimulacris etiam palmae infigi, atque erigi folebant, ut alibi obfervavimus: (1) vel etiam ab eo confecrata, atque donata fuit Mercurio certaminum praefidi, cuius ftatua in palaeftris dedicata erat. Nam vel eidem Deo, vel ceteris, quibus ante certamen vota fecerant, victoriam adepti coronas confecrare folebant.

TAB. LXXXV. n. III.

COMICVS POETA (ex arena, & palaeftra ad theatrum, & fcenam gradu facto) fpectandus eft pallio amictus, laeva manu pedum tenens, dextera gefticulationem faciens ante Comicam perfonam praealtae columellae impofitam, e qua duplices corollae tamquam monilia pendent. Status ille corporis Poëtae Comici, qui fe fe incurvat, & finiftro genu innititur, fublatum pedem fulciente fcopulo, cum Comica perfona colloqui, vel Comoediam ante eam meditari defignat. Ad finiftram cernitur femina item palliata, quae eumdem geftum facit, atque, ut arbitror, eft Thalia Comoediae inventrix.

In hanc rem facit quod Plinius (2) memorat de M. Ofilio Hilaro Comoediarum Hiftrione. Is quum populo admodum placuiffet natali die fuo, conviviumque haberet, edita cena, calidam potionem in pultario popofcit; fimulque perfonam eius diei acceptam intuens, coronam e capite fuo in eam tranftulit, talique habitu rigens, nullo fentiente exfpiravit. Quidam amicus meus, Gemmam hanc, dum eam illuftrarem, curiofius infpiciens, referre poffe credebat Aefchylum Tragoediae parentem, inventoremque perfonae non terribilis, & horrificae, fed honeftae, ut docet Horatius. (3)

TA-

(1) Ad Monumentum, five Columbarium Libertorum Liviae Tab. III. litt. E. pag. 32.

(2) Hiftor. Lib. VII. Cap. LIII.

(3) In Poëtica.

TABVLA LXXXVI.

COMOEDI.

PErſonati ſunt hi duo COMOEDI, quorum alter ad dexteram barba, & capillis calamiſtratis cultus eſt; alter vero ad ſiniſtram eum geſtum facit cubito ſuo mentum ſuffulciens, quem ii facere ſolent, qui aliquem loquentem ſedulo auſcultant. Pectus eius nudum eſt. Recurvum eo modo pedum, quod tenet, ſine obſervatione praetereundum non eſt, quod Satyricis perſonis, & Hiſtrionibus tribuitur in antiquis ſculpturis, ut alibi adnotavimus, & ex Plutarcho de liberis inſtituendis. T. LXXXVI. n. I.

His non abſimiles fuere EXODIARII, qui ad finem fabulae Atellanae intrabant ut ſpectatores ad riſum excitarent; quare apud Iuvenalem: (1)

Vrbicus exodio riſum movet Atellanae.

Fabulae Atellanae partim ad Comoediae, partim ad Satyricae fabulae naturam accedebant, ut dici poſſent Comoediae Satyricae. Perſonas cum ore immaniter hianti eos induiſſe docet idem Iuvenalis: (2)

——— Tamdemque redit ad pulpita notum
Exodium, quum perſonae pallentis hiatum
In gremio matris formidat ruſticus infans.

Gemma, quae hanc ſequitur, rariſſima, ni fallor, eſt. Vir ad parvam quamdam tabulam in quatuor ſegmenta diſpertitam, & cuidam pilo ligneo appenſam accedit, inclinatuſque eam ſtylo inſcribere videtur. Hanc eſſe tabulam Comicam arbitror, in qua totius Comoediae argumentum, actores, & rerum in ſcena exhibendarum compendia per ſingulos actus in unoquoque ſegmen- n. II.

(1) Sat. VI. v. 71. (2) Sat. III. v. 173.

ſegmento notata proferebantur ; quam nos vernacula lingua *lo Scenario* dicimus ; quod etiam apud nos hodie faciunt Hiſtriones, depictas ſuas tabulas pridie exponentes . Veterum morem ex Iulio Polluce notat Iſaacus Caſaubonus ludos ſuos tabulis ornandi , quae fabulas ab Hiſtrionibus docendas , aut gladiatorum pugnas , & ornamenta , totam denique ludorum magnificentiam ob oculos ponerent . De his tabulis Comicis meminit Plinius , qui laudat Calacem , ſeu Caladem pictorem , qui eas pingebat . In veteri inſcriptione , a me edita ex Muſeo Suburbano Strozio , laudatur P. Cornelius Philomuſus PICTOR SCAENARIVS IDEM REDEMPTOR .

MORIONES deformes , & monſtroſi , nudipedi , capite ſemiraſo , qui ad exhilarandos ſpectatores , & convivas induci ſolebant in hac ſingulari Gemma exhibentur . MACCI homines bardi , fatui , & ſtolidi , ut explicat Iuſtus Lipſius in Epiſtolicis quaeſtionibus Lib. II. Epiſtola XXII. quorum meminit Apuleius in Apologia , his non abſimiles fuere , qui riſus movendi gratia inducebantur , de quibus alibi diſſeruimus .





C L A S S I S IIII.

T A B V L A LXXXVII.

S O L V E R N O T E M P O R E T E R R A M F E C V N D A N S.



EORVM Virorumque illuſtrium Imagines e Gemmis rariſſimis, ac nobiliſſimis hactenus depromptas, atque in ſeptem Claſſes perſpicuo ordine diſpoſitas, ea qua potuimus diligentia breviter illuſtravimus. Ad Gemmas, quae huic poſtremae Claſſi finem imponunt, e Medicea Dactyliotheca, ac Florentinis privatorum Cimeliis ſelectas, in quibus SIGNA CAELESTIA, & SYMBOLA exhibentur, gradum facimus. Mirum quanta in his occurrant, quam multa & varia animalia, quam curioſae ex iiſdem animalibus complexiones, quanta aenigmata, & naturae, vel ingenii portenta; quorum arcanas ſignificationes ii probe tenuere, qui ea in ſignatoriis gemmis ſculpi mandarunt. Qua quidem in re Aegyptios imitari eos ſtuduiſſe haud invitus credam, qui per figuras animalium mentis ſenſus exprimi poſſe docuerunt.

T. LXXXVII. Gemma prima huius Claſſis IV. a qua exordium ſumimus, non eleganti ſolum opificio exſcaipta eſt, verum etiam ſummo ingenio, atque iudicio: nam artifex ut exprimeret verno tempore Terram fecundari a Sole, & mutare vices, ut ait Horatius, (1) iacentem ſculpſit Deam rerum omnium parentem, nudo corpore ſuperiore parte, inferiore vero velato veſte; quae ſiniſtra tenet cornu fructibus dives, dexteram vero extenſam inter nubila condit quaſi vivificam Solis virtutem, atque Aetheris beneficum humorem expoſcat, ut docet his verſibus Virgilius, quibus hoc opus peritiſſimi artificis mirifice illuſtratur. (2)

Vere tument terrae, & genitalia ſemina poſcunt.
Tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether
Coniugis in gremium laetae deſcendit, & omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore, foetus.
Avia tum reſonant avibus virgulta canoris,
Et Venerem certis repetunt armenta diebus:
Parturit almus ager, zephyrique tepentibus auris
Laxant arva ſinus. ſuperat tener omnibus humor;
Inque novos Soles audent ſe gramina tuto
Credere: nec metuit ſurgentis pampinus auſtros,
Aut actum caelo magnis aquilonibus imbrem:
Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnis.

Solem, quem veteres Αειγενέτην appellarunt ea de cauſa quod ſempiterno motu generet univerſa ſeminando, fovendo, producendo, alendo, augendoque, ut obſervat Macrobius, (3) ſuper Aethera ſcalptor effinxit quadriiugo curru vectum, dextera auream lampadem praeferentem, ſiniſtra velociſſimorum equorum curſum abſque flagello, & habenis, imperio tantum moderantem. Praeit Puellus aliger facem gerens; qui eſſe poteſt vel eiuſdem Solis Genius, vel Zephyrus Veris praenuncius, (4) vel potius, quod mihi magis adridet, Amor Veneris filius, quod ex dicendis paullo inferius magis liquebit.

Vnde vero colligam huius Gemmae artificem hoc opere anaglyptico oſtendere voluiſſe Terram a Sole verno tempore fecundari, ipſumque rebus omnibus quae ab ea gignuntur vitalem

(1) Carm. Lib. IV. Od. VII.
(2) Georg. Lib. II. v. 324.
(3) Saturnal. Lib. I. Cap. XVII.
(4) Quod Statius Theb. VII. omneſque Poëtae teſtantur.

lem calorem, & motum infundere, atque excitare, paucis nunc aperiam. Obſervanda ſunt circa Solis caput ſculpta tria Zodiaci ſigna, nempe Taurus, Gemini, Cancer. Idem Sol a ſolertiſſimo ſcalptore ita ſculptus eſt ut Taurum ſubire videatur capite ſuo; quod contingit menſe Aprili, quum omnia orto iam vere renovantur, & Terra frondibus, ac floribus ubique veſtitur. (1) Veneri Genitrici dedicatus eſt Aprilis, eſtque ipſum Tauri ſignum in Zodiaco: quare hinc facile credam alatum illum Puellum, qui Solis quadrigam praeit, ac veluti viam monſtrat, Amorem eſſe, a quo verno tempore omnia animantia & homines excitantur, vimque eius ſentiunt, ut perbelle deſcribunt Poëtae. Apud Corinthios in delubro Veneris ſe vidiſſe narrat Pauſanias (2) tria ſigna, nempe Veneris armatae, Solis, & Amoris arcum tenentis; adeoque Amorem Solis comitem eſſe poſſe haud improbabile mihi videtur.

Terra igitur Παμμήτωρ a Sole vitalem calorem, ab Aethere humorem neceſſarium ad omnium rerum generationem expoſcens iacet, extenſoque dextro brachio fecunditatem implorat non ſecus ac Rhea, ſeu Ops Deorum omnium mater ſculpta in Ara marmorea, quae Albani exſtat in Villa Pauluccia; in qua eiuſdem Rheae puerperium, Saturno illata fraus, Iovis cunabula, educatio, & Deorum concilium exhibetur; quam vide inter antiqua monumenta addita Inſcriptionibus Donianis nuper a me illuſtratis atque in lucem editis. (3)

Emblemati huius Gemmae ſimilis eſt typus praeclari nummi M. Aurelii Imperatoris a *Nicaeenſibus* Bithynis percuſſi, qui exſtat in Theſauro Chriſtianiſſimi Galliarum Regis, & ab inſigni viro Ezechiele Spanhemio adfertur, atque illuſtratur. (4) Nam in eo Tellus magna mater, & nutrix rerum omnium, uti appellabatur εὐρύϛερνος (5) lato pectore efficta in antiquis monumentis, eodem modo recumbit, copiae cornu ſiniſtra tenens, quemadmodum etiam Genii Fluminum effingi ſolent, dextera vero pingues ſpicas; quae quum in meſſe aeſtivo Sole colligantur, hinc Sol adſimili modo, demiſſius tamen ac propius ſuper eam ſculptus capite radiato, abſque chlamyde, & face, in quadriiugo

S 2 driiugo

(1) Hinc Petrarcha noſter in Italico Poematio
Quando 'l Praneta, che diſtingue l' ore;
Lauram ſuam comparat Soli Taurum ingredienti, ſe vero Terrae; numquam tamen ver experiri ſe adfirmat.

(2) In Corinthiac. Cap. III.

(3) Tab. A. I. II. III. IV. quae inſeruntur ibidem pag. 3.

(4) In Obſervationibus in Hymnum Callimachi in Delum pag. 434.

(5) Vide Pauſaniam in Achaicis Cap. XXV.

driiugo curru nubes tranſcendens, & frenis temperans equos, Leonis ſignum ingreditur ſuper caput ſuum ſculptum in Zodiaco; quo tempore horrea frumento maxime redundant: cum quo ingreſſu Solis in Leonis ſignum concordat Terra ſpicas praeferens; quod miror Spanhemium non animadvertiſſe.

TABVLA LXXXVIII.

SOL IN MEDIO SIGNORVM CAELESTIVM LVNA IN MEDIO SERPENTIS CAVDAM SIBI DEPASCENTIS.

Ex Aſtronomiae ſcientia ortam eſſe Idololatriam, priſcarumque gentium portentoſa figmenta, doctorum hominum ſententia eſt. (1) Chaldaei, Aegyptii, & Aſſyrii Aſtronomi omnium vetuſtiſſimi, ac peritiſſimi, Solis, & Lunae motum, ordinem, & multiplices in rerum natura effectus obſervantes, a cultu veri Dei totius mundi Creatoris, & conſervatoris ſapientiſsimi, ad adorandum Solem, & Lunam, tamquam rerum omnium fontes, ac potiſsimas cauſas, rudes populos tranſduxere. Quam antiquus ſit horum ſiderum cultus colligi poteſt non ex Homero, ſed ex divino Moſe, cuius temporibus illum obtinuiſſe declarat interdictum hoc repetitae legis: (2) *Ne forte elevatis oculis ad caelum, videas Solem, & Lunam, & omnia aſtra caeli, & errore deceptus adores ea, & colas; quae creavit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quae ſub caelo ſunt.* Valde etiam antiquitatem hanc comprobat locus ille Iobi, (3) ut obſervat Gerardus Ioannes Voſſius: (4) *Si vidi Solem, quum fulgeret, & Lunam incedentem clare, & laetatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo: quae eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum.*

Pul-

(1) Vide Lucianum de Aſtronomiae laudibus.
(2) Deuteronom. Cap. IV. v. 19.
(3) Cap. XXXI. 26. 27.
(4) De Origine, & progreſſu Idololatriae Lib. II. Cap. III.

Pulcherrima haec Gemma anaglypho opere utrimque ſculpta cum imagine SOLIS in quadriiugo curru in medio caeleſtium Signorum, & LVNAE in biga, quam coronat ſerpens caudam ſibi depaſcens, fortaſſe deſignat, ut auctor eius credidit, calore, & humore omnia generari, ac conſervari; ac propterea haec ſidera generationis, & conſervationis omnium rerum eſſe cauſam. Sol Zodiacum annuo ſpatio percurrit, Luna menſe uno non integro. Serpens in orbem reductus, caudamque ſuam ore apprehendens, apud Aegyptios Sacerdotes univerſum mundum in ſe ipſo ali, & in ſe revolvi, annum quoque & alia multa, ut explicat Pierius Valerianus, (1) notabat. Zodiacus etiam index brevitatis humanae vitae apud veteres fuit, quem in ſepulcris defunctorum ſculptum non ſemel me videre memini. Haec plane ex multis aliis cauſis una eſſe poteſt cur in his Gemmis auctores Zodiacum ſculpi mandaverint. Neque etiam adverſabor ſi quis credat pro amuleto inſerviſſe ſectatoribus Priſcillianae haereſeos, qui omnes homines reſque omnes, quae in natura ſunt, ſtellarum poteſtatibus, & influxibus ſubiecere; ut interpretatur Michaël Cauſeus, qui in Muſeo Romano adſimilem Gemmam adfert in qua Sol ſculptus eſt in medio caeleſtium Signorum. (2) Interdum Ibis, Aegyptiorum familiare animal, in Gemmis occurrit in medio ſignorum Zodiaci ſculpta. T. LXXXVIII. n. I.

Satyrus tibia canens ad aram igne accenſam, ad quam ſponte caper immolandus accedit, forte indicat Solem ignem eſſe, nec eius aram victimarum ſanguine cruentandam. n. III.

SOLIS DISCVS. Nonnulli Graecorum, ut obſervat Gisbertus Cuperus, (3) Solem Δίσκον appellavere, quod eius facies talis nobis appareat, qualis in hac Gemma expreſſa eſt. Paeones, teſte Maximo Tyrio, (4) Solis ſimulacrum parvo diſco ſimile expreſſerunt, colueruntque. Quatuor equis, non patera, vel lebete, vel phiala, aut poculo, ut aliqui voluere, vectum per mare Solem exhibet ſculptura antiqua rotundae laminulae ex argento inaurato, cum hac inſcriptione SOL DOMINVS IMPERI ROMANI. cuius graphicum ſchema mecum ſingulari humanitate communicavit V. C. Franciſcus Victorius Equeſtris Ordinis S. Stephani, elegantiarum omnium penitioris antiquitatis ſtudioſiſſimus; quaſi Romanorum imperium ubique terrarum, quas n. II.

Sol

(1) Hieroglyph. Lib. XIV. pag. mihi 137.
(2) Tab. XXXVII. Sect. I. pag. 19.
(3) In Harpocratem pag. 33.
(4) Diſſertat. XVIII.

Sol lumine ſuo illuſtrat , patuerit ; quod Poëtae celebrarunt . Claudianus Romam ita commendat : (1)

Haec eſt exiguis quae finibus orta tetendit
In geminos axes ; parvaque a ſede profecta
Diſperſit cum Sole manus . ———

Horatius : (2)

——— *famaque & imperi*
Porrecta maieſtas ad ortum
Solis , ab Heſperio cubili .

Solem , ut in viam redeam , in hac Gemma ſculptum circumſtant duodecim Signa caeleſtia , quae idem annuo ſpatio metitur . Virgilius : (3)

Idcirco certis dimenſum partibus orbem
Per duodena regit mundi Sol aureus aſtra .

T. LXXXVIII. n. IV. AQVARIVS nunc primum in Gemmis antiquis ſculptus apparet , ni fallor ; paucioribus tamen ſtellis diſtinctus , quam ab Hygino deſcribitur ; (4) qui loca eorum indicat , & omnino eſſe quatuordecim docet ; in effuſione vero aquae dextra laevaque facta ex urna , ſtellas eſſe triginta adfirmat .

Ordinem , & nomina duodecim Signorum caeleſtium ita deſcribit Auſonius :

Hic Aries , Taurus , Gemini , Cancer , Leo , Virgo ,
Libraque , Scorpius , Arcitenens , Capricornus , & urnam
Qui tenet , & Piſces .

TA-

(1) Panegyr. III. Stilic.
(2) Carm. Lib. IIII. Ode XV.
(3) Georgic. Lib. I. v. 231.
(4) In Poëtic. Aſtronom. XXVIII.

TABVLA LXXXVIIII.

SOLIS VIS ET BENEFICENTIA.

DVo ſunt in hac Gemma rariſſima, in qua Sol quadriiugo curru vectus exhibetur, haud profecto obvia, ut puto, ſed obſervatione maxime digna. Primum quod SOL dextera manu praefert omni frugum copia dives cornu, ſiniſtra ardentem facem; alterum, quod quaſi auriga in Circenſibus ludis, circumvolutis circa corpus habenis agitat equos velociſſime currentes non per aethera, non per mare, ſed ſuper terram. Fulgida lampas, quam adtollit caelo, & terrae lucem praeſtare, ac maxima beneficia ignis calore rebus omnibus conferre deſignat, ſine qua perpetua nox eſset; copiae vero cornu eius in terram beneficentiam indigitat. Eſt enim copiae cornu felicitatis, ubertatis, rerumque omnium adfluentiae ſymbolum, quod quum Diis Deabuſque in humanum genus ἐυεργηταῖς tribuerint veteres, quemadmodum Cereri Frugiferae, Iſidi, Fortunae, Magnae Deum Matri, cuius etiam filium eſſe Solem fingunt, item Harpocrati, Felicitati, Annonae, Geniis Fluminum, Deae Romae; perſpicue liquet hoc ſymbolo Solem frugum ſatorem, largitoremque beneficentiſſimum indicatum fuiſſe. (1)

Cornu primum pro poculo uſi ſunt vetuſtiſſimi hominum; quorum victus terrae fruges, ac fructus fuere; quare ad indicandam eorum temporum felicitatem adhibitum fuit. Indicat etiam, ut docet Dio, (2) bonorum largitionem, & felicitatem. Hinc Apollini, qui idem eſt ac Sol, ſacrari campi leguntur in Myra Lyciae urbe, eius quoque oraculo celeberrima; quorum meminit Virgilius, (3) & Martialis: (4)

Campis dives Apollo ſic Myrinis.

Interdum etiam ſimulacrum eius argenteum in aediculis repoſitum

(1) Saturnal. Lib. I. Cap. XVIII.
(2) Orat. LXIV. quae eſt prima de Fort.
(3) Aeneid. Lib. XII. v. 516.
(4) Lib. IX. Epigr. XLIII.

positum fuisse constat in tutelam praediorum ; quod adnotavi ad insignem inscriptionem, quae habetur inter Donianas Tab. VIII. Pag. LXIV.

TABVLA XC. XCI. XCII. XCIII. XCIIII. XCV. XCVI.

GEMMAE SYMBOLICAE.

MOrari lectorem in rebus, quae parum continent eximiae eruditionis, minime consentaneum mihi videtur : quare ex omnibus Gemmis, quae exhibentur in Tabulis, quas superius enumeravi, perpauca delibabo, quae observatione digna videntur. Quo facilius igitur ex his me expediam, SYMBOLA in his expressa in decem Classes ita dispono ; aliarum quoque plurimarum Gemmarum observatis aposphragismatis, quarum ectypa maxima ex parte nunc penes me sunt, olim vero inter Cimelia Petri Andreae Andreinii Patricii Florentini, de antiquitate, studiisque meis optime meriti ; praesidio quoque adiutus insignis Voluminis exhibentis rariores Gemmas, quas calamo diligentissime, & accuratissime delineavit vir Praeclarissimus Philippus Bonarrotius Senator, & Patricius Florentinus ; quod per plures menses apud me esse singulari humanitate voluit. Continent igitur Gemmae Symbolicae I. *Animalia Diis sacra*. II. *Monstra fabulosa*. III. *Animalia hominis ingenium, studia, & artes imitantia*. IIII. *Animalia ludicra, & voluptuaria*. V. *Animalia auspicalia*. VI. *Animalia sacrificalia*. VII. *Animalia superstitiosa*. Deinde VIII. *Vasa, aras, plantas, herbas, instrumenta Diis sacra*. VIIII. *Instrumenta Sacerdotum, Religiosorum, Ministrorum sacrorum, & Magistratuum propria. Arma militum, & insignia*. X. *Symplegmata*.

Ad Classem I. *Animalium Diis sacrorum* pertinet Pavo Iunonis symbolum, eidemque sacra, credo quod avium sit pulcher-

cherrima, vel ob fabulam quam Naſo commemorat. (1) Eadem in Gemma VI. Tab. XC. inſidet crateri, cui iunctus thyrſus vittis ornatus, Libero Patri dedicatus. Gryps Apollini, & Minervae ſacer eſt; Leo inciſus in Gemma II. Tab. XCV. Magnae Deum Matri Cybeli.

Aries ſculptus in pluribus Gemmis Tabulae XCI. gerens caduceum, vel coronam, vel palmam, Mercurio ſacer eſt, quod armentis praeſit. Mercurii Κριοφόρου ſimulacra deſcribit Pauſanias. (2) Eidem ſacer etiam caduceus, & teſtudo, quae ſub ariete ſculpta cernitur in Gemma VI. eiuſdem Tabulae XCI. quam aptatis chordis in citharam conformavit. Palma addita eſt quod gymnicis certaminibus praeſit: ſpicae, quod agri frugiferi & opum ſervator, tutor, & averruncator Deus creditus fuerit, ut laudatur in veteri epigrammate Hermocreontis in Anthologia. (3) Priſcis temporibus nobiles, ac fortunati pueri in dorſum arietum imponebantur, ut ſine periculo rudimenta equeſtris artis perdiſcerent; idque, ut obſervat doctiſſimus Petrus Victorius, (4) veteres Grammatici putarunt ſignificare etiam potuiſſe Homerum, quum ἐπιβώτορι μήλων cecinit in XIII. Libro Odyſſeae; nam aliae quoque declarationes eius nominis afferuntur. Veterum hoc inſtitutum nobis exhibet perrara Gemma III. ſuperius adlata in Tabula LXXXIV. ex Muſeo Victorio; quam interpretationem alteri praeferendam eſſe cenſeo.

Galli copiae cornibus inſidentes in Gemma V. & VII. Tabulae XCIII. ſacri ſunt Apollini, Marti, Minervae, Aeſculapio, & Deo Luno, praeſertim vero eidem Mercurio. (5) Equus in tutela Caſtoris, Pollucis, & Minervae eſt, Aquila vero Iovis, cui fulmina miniſtrat, ut videre eſt in Tab. XCII. V. & VI.

In eadem Tabula ſequitur Noctua Minervae, itemque Formica ſeptem ſpicas ore ſuo praeferens, Cereri, ac Pani Deo ſacra; nam iuxta eorum ſimulacra in Gemmis ſculpta obſervatur. Habes quoque ibidem Cicadam eximio artificio ſcalptam; quae, ut ait Anacreon, terrae alumna eſt, cantus amica, & omnis mali, doloriſque expers, quae parum abeſt a Diis. Cicadam capite praeferebant Athenienſes tamquam inſigne, & Samii feſtis diebus Iunonis, ut docet Aſius, quem citat Athe-

 naeus.

(1) Metamorph. Lib. I. Tab. X. & XIII. Vide Ant. Auguſtini Dial. V.
(2) In Meſſen. Cap. XXXII. In Boeoticis Cap. XXII. In Eliacis Prior. Cap. XXVII.
(3) Lib. I. Cap. XX. n. 12.
(4) Variar. Lect. Lib. VIII. Cap. IX.
(5) Id obſervavimus ad Monumenta addita Inſcriptionibus Donianis Tab. IV. n. 1. pag. XLV.

naeus. (1) Animalia, flores, & lilia capitibus Deorum Dearumque impoſita, quo auguſtiora colentibus redderentur, eademque in veſtibus picta non uno in loco notat Pauſanias. (2)

In Gemma IX. Tab. XCIII. arae impoſitus eſt Corvus Apollini ſacer, qui roſtro praefert duas ſpicas, pendetque ex eius collo torquis cum bulla tamquam amuleto, ſeu potius aereo ſonoro crepitaculo, iis haud parum ſimili, quae a Bacchis puellis in Dionyſiacis feſtis ad augendum ſonum tympano circumponebantur. (3)

Claſsi II. adſcribo *Monſtra fabuloſa*, quae etiam Diis dedicavit vetus Ethnicorum Theologia, & myſtica dici poſſunt. Neptuno maris Deo famulantur Equus marinus modo ſine alis, modo cum alis ſculptus; Leo, Capricornus, quae in Tabula XC. occurrunt. Eadem marina animalia frequenter exhibentur in ſepulcris defunctorum, quod etiam ab Etruſcis noſtris, quos Romani imitati ſunt, factum docent pervetuſta monumenta addita Dempſteriano Operi. (4) Fuit enim veterum opinio animas defunctorum per Oceanum devehi ad Elyſios campos; quod etiam expreſſe docuit Homerus. (5) Nymphas Oceaninas Orgia Bacchi celebrantes, tympana pulſantes, & ciſtam myſticam ferentes, luſitantibus huc illuc Geniis, obſervavi in antiquo anaglypho marmorei Sepulchri exſtantis in ſuburbanis Hortis regiae Villae Caſtelli Magni Ducis Etruriae. Leonem, Pantheram, Arietem, Capricornum marina monſtra circa collum ſquamoſa, & Draconem ſpeciei perhorrificae, haud plane diverſum ab eo qui exhibetur in antiquo ſepulcro Etruſco penes Dempſterum, (6) nuper obſervavi in elegantiſſimo Sarcophago; in quo etiam adnotare haud iniucundum fuit arma Diis Oceani adtributa, nempe fulmen, clypeum, gladium, ſagittas, pharetram. Hic Sarcophagus eximio opere ſculptus inventus fuit hoc anno MDCCXXXII. prope Viam Caelimontanam, haud procul a Porta S. Ioannis in Laterano, quum quaererentur quadrati lapides ad vias Vrbis ſternendas: quem in ornamentum Villae ſuae in Ianiculo Via Aurelia dedicavit, & ab egregio Equite Hieronymo Odam accuratiſſime delineatum ad me miſit cum aliis antiquis monumentis, quae ſummo ſtudio conquirit, pluriſque aeſtimat

N E-

(1) Lib. XII. Cap. V. n. 259.
(2) Vide Paſchalium de Coronis Lib. IX. Cap. X. XI. XII.
(3) Vide Obſervationes in Monum. ant. addita Inſcriptionibus Donianis Pag. XCVII.
(4) De Etruria Regali ad finem Lib. I. pag. 102 Vol. I. ad finem Lib. V. pag. 405. Vol. II. ad finem Lib. VII. & ult. pag. 498.
(5) Odyſs. Lib. IV. v. 565.
(6) Ad finem Lib. VII. Vol. II. de Etruria Regali pag. 498.

NERIVS CORSINIVS Cardinalis Amplissimus, Pontificis Maximi, ac sapientissimi CLEMENTIS XII. feliciter regnantis, ex Fratre Nepos; cuius eximium in fovendis optimis artibus animum qualis quantusque sit perspicue declarat hoc ipsum Opus MVSEI FLORENTINI; cuius editionis ipse primus omnium auctor fuit, consilioque suo, sollicitudine, & impensis ceterorum NOBILIVM SOCIORVM animos ad ornandum augendumque Patriae splendorem magna cum nominis sui laude excitavit.

Monstrosis animalibus, quae numquam fuere nisi in animo Pictorum, & Poëtarum carminibus, quibus, ut ait Horatius, (1)

Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas;

addenda haec quoque sunt, Chimaera, Sphinx, Gryps cervum sibi subiiciens, Pegasus, Scropha alata; quae etiam non solum in pluribus ex his Gemmis, verum etiam in nummis occurrunt, tamquam insignia populorum; quae etiam Diis sacra fuisse nemo ignorat. Hisce aliisque symbolis ornati clypei Heroum.

Inter *Animalia, quae hominis ingenium studia, & artes imitantur*, Classi III. adcensenda, principem locum tenet Simia, & Vulpecula aurigans curru vecta a Gallis, ut videre est in I. Tabulae XCII. Deinde in eadem Tabula spectandi non sine voluptate sunt Galli, uti a Luciano describuntur (2) aliisque, pugnantes in palaestris, & in certaminibus, de quibus erudite disseruit Eques Paulus Alexander Maffeius; (3) cuius scrinia expilare non lubet. His addendae Ciconiae, Turtures, Grues saltatrices, quae etiam in certamen exponebantur, ut paullo ante diximus. (4) Gruem tibicinem habes elegantissime sculptam in Gemma II. Tabulae XCVI. item Gallum buccinatorem in Gemma III. Tabulae XCII. In alia Gemma concentum musicum quatuor animalia edunt; Noctua canit tuba ductili in medio, hinc Gallus occinit, hinc Grus tibiam inflat, Cycnus forte tempus metitur. (5) Haec aliaque multa animalia in Classem quoque IV. referri possunt; *ludicra* enim sunt, nec sine risu spectanda. Huc pertinent Locustae, & Grylli citharoedi, fistulae cantores, bestiarii, nimi-

(1) In Poëtica v. 10.
(2) De Gymnasiis T. I. pag. 770.
(3) Gemm. ant. figur. Par. II. pag. 225. 226. & seqq.
(4) Ad Tab. XVIII. pag. 50. huius Voluminis Vide Lucianum de Saltatione T. IV.
(5) Hanc describo ex Volumine Bonarrotio Gemm. del.

rum cum aliis beſtiis pugnantes canephori, & caniſtrophori. Caniſtris antiquitus panes miniſtrabantur menſis, ut docet Homerus, & Virgilius, (1) & Athenaeus. (2) Gryllus perbelle ſculptus in Gemma III. Tab. XCVI. caniſtros defert in humero hinc, & hinc tigillo appenſos, ut hodie apud nos ſervi miniſtratores, & ruſtici facere ſolent. Per viam publicam eum incedere indicat praealta columella, cui impoſitum eſt horologium ſolarium, quod veteres non in templis Deorum tantum, verum etiam in foro, in viis publicis, in balneis, in gymnaſiis, in ſcholis Collegiorum conſtituere; cuius originem a Graecis apud Romanos notat Plinius. (3) Praealtis columnis, quamadmodum conſecutis poſtea temporibus apud nos etiam in more poſitum fuit, ſuperponi ſolebat, ut haec Gemma indicat, & alia IX. relata in Tabula XC. e qua columna fons manat in maiorem craterem, ſeu vas urnarium. In ipſis columnis aliquando inſcribebatur nomen eius viri, qui bono publico horologium ſolarium dedicaverat; quod colligo ex antiquo lapide penes Gruterum, (4) & Fabrettum, (5) in quo duo Peticii fratres in honorem Claudii Caeſaris HORILOGIUM, ut in marmore ſcriptum eſt, CUM SEDIBUS PAGANIS. LAEBACTIBUS dediſſe memorantur. (6) Curioſa Sarda Gemma delineata eſt in Bonorrotio Volumine, in qua papilio animae ſymbolum, ante horologium ſolarium columellae impoſitum conſiſtens, ita ingenioſe ſculptus eſt ut horas contemplari videatur; ad illud elegantiſſimum Luciani diſthicon forte adludens:

Εξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται, αἵ δὲ μετ᾽ αὐτὰς
Γράμμασι δεικνύμεναι, ΖΗΘΙ *λέγȣσι βροτοῖς.*

Sex horae tantum rebus tribuuntur agendis,
VIVE*que poſt illas, littera* ΖΗΘΙ *monet.*

Nam ſi Graecas litteras, quae ſeptimam, octavam, nonam, & decimam horam ſignificant, hoc eſt Ζ. Η. Θ. Ι. coniungas, verbum ΖΗΘΙ exprimis, quod VIVE ſignificat Latine.

Fon-

(1) Aeneid. Lib. I. v. 701. Deipnoſoph. Lib. I. Cap. X. Vide Feithium Obſervat. Homer. Lib. III. Cap. I. Pignorium de Servis p. 58.
(2) Lib. I. Cap. X. & XI.
(3) Lib. VIII Cap. LX.
(4) Pag. CCXXXVII. 6.
(5) Cap. X. Inſcr. ant. n. 80. In MS. Geneſeos apud Lambecium Lib. III. Tab. XXXIII. viſitur horologium ſolare iuxta carcerem Ioſeph. Occurrit etiam apud Bucherium. In Horologia plura epigrammata in Antholog. Lib. IV. Cap. 34.
(6) Vide etiam horologia, quae deſcribit Famianus Nardini in Roma antiqua Lib. VI. Cap. VI. Region. IX. pag. 347.

Fontes in antiquis ſculpturis manant ex epiſtomio columnis infixo ; interdum ex ore Hermarum ſtatuarum , nec raro etiam ex ore belluarum , praeſertim vero leonum .

Sequuntur in eadem Tabula XCVI. Locuſtae thallivorae, & ſpicivorae , quae quam infeſtae ſint agris nemo ignorat . Hercules Κορνοπίων cultus fertur , quod locuſtas ab agris arcere , & fugare crederetur : idem quoque dictus Ιποκτόνος , & Απομυῖος , quod vermes vitibus infeſtos , & muſcas abegiſſet . (1) Alia animalia , quae flores, & herbas depaſcunt , frequenter occurrunt in Gemmis , nempe apes , papiliones , vermes .

Cui vero riſum non excitant e cochleis prodeuntes canes , leporem aprehendentes , ut praefert Gemma VII. Tabula XCV. item aſini , leones , elephantes , olores , grues , cervi ; locuſtae ſeu grylli cum tauris , tigribus , aliiſque ferociſſimis animalibus pugnantes , rei militari , athleticae , & muſicae operam dantes , quae omnia veteres luſus gratia confinxere ? Non ſine voluptate ſpectantur Cupidines aviculis inequitantes , qui a Philoſtrato , & a Xenophonte Epheſio (2) pinguntur , & in Gemmarum ſculpturis conſpiciuntur ; vel etiam a papilionibus curru vecti , vel eoſdem papiliones flagellis ad curſum impellentes perinde ac aurigae in Circenſibus ludis . Eodem modo , quemadmodum ſcalptores Gemmarum fecere , iocati nugatique ſunt Poëtae , qui homines in formicis equitantes , capillo implicatos , & ſuſpenſos commenti ſunt , & murium cum ranis pugnam ; a quibus veteres Pictores , Sculptores , & Litographi plurima accepere . Facile etiam crediderim complures Gemmas his ſimiles ad imitationem Aeſopi , Phaedri , aliorumque auctorum , qui fabellas ex animalibus deſumptas compoſuere , ſculptas fuiſſe , ut qui eas in annulis geſtarent ex ludicris ſeria , & ad mores optime inſtituendos praecepta quaedam conducibilia conciperent . Quam vero magnum , & mirum ſint animalium , & quidem minimorum ingenium , (nam nuſquam natura tota magis eſt quam in minimis , ut ait Plinius ,) non eſt cur hoc loci declarem .

Animalia *Voluptuaria* apud antiquos fuere urſi manſuefacti , ut ſupra vidimus in Gemma II. Tab. XVIII. aſini , aliaque bruta , quae praetioſis veſtibus amiciebant ; canes , qui etiam ut explicavimus , dominos ad balneum euntes comitabantur , & guttum ,

(1) Vide Clementem in Protreptico , & Pauſaniam in Eliacis Prior. Cap. I. Plinium Lib. X. Cap. XXIX. & XXIX. Cap. VI.

(2) Pag. 9. Latine eum reddidit Vir Praeſtantiſſimus Ant. Cocchius , Medicus Flor. & in patr. Athen. Philoſoph. Natur. Prof.

tum, & ſtrigilem ferebant, interdum equum deducebant; catellae quae feminis etiam Auguſtis in deliciis fuere, ut veteres inſcriptiones teſtantur, in quibus ſervae A CATELLA leguntur; item ex avium numero luſciniae, paſſeres, aliaeque aviculae vel raritate, vel cantus ſuavitate commendabiles, quas in cubiculis tenebant, plerumque vero liberas, non caveis incluſas, ut ſomnum facilius caperent, & in triclinio ut maiori cum voluptate cibum guſtarent; quod oſtendit vetuſtum marmor Auguſtanum anaglypho opere ſculptum apud egregium Virum M. Antonium Velſerum; (1) in quo ſculptus eſt vir in lecto iacens, & menſae tripodi accumbens; iuxta quam poſitum urnarium vas columella ſuffultum, cui inſident duae aviculae, eo modo ut inſculptae ſunt in Gemmis VII. & VIII. adlatis in Tabula XC. Elegantiſſimi ſunt Catulli verſus in laudem paſſeris Lesbiae, atque in eius obitum conſcripti. (2) Feſtiviſſimum, lectuque pulcherrimum eſt epitaphium luſciniae in antiquo vaſe inſculptum, quod adfert Fabrettus, (3) in quo narratur quod in poculo myrrhino caput abluens miſella ſubmerſa perierit.

Claſſem V. adſigno Animalibus *auſpicalibus*, VI. vero *ſacrificalibus*, nempe bobus, tauris, vaccis, arietibus, hircis, capris, vitulis, ovibus, item avibus, e quibus ex haruſpicinis libris auguria capiebant vel militaria, vel nuptialia, vel conſularia, vel ruſtica; in omni denique re ante quam aliquid adgrederentur. Auſpicia vel e cantu, vel e volatu, vel e paſtu avium deſumebant; pullos haruſpici, ſive auguri adferebat in cavea is qui ex eo nominabatur pullarius. (4) Galli inter pullarios aves numerandi ſunt, quos exhibent Gemmae V. VI. & VII. Tabulae XCIII. In VII. triticum ex ara depaſcunt, & copiae cornibus inſident, vel e calatho, ſeu ciſta ſpicas decerpunt. Oſcinis, forte corvus, inſiſtit taurino capiti in Gemma VIII. eiuſdem Tabulae. Tauri caput pendentibus infulis exornatum, eo modo uti ad ſacrificia Deorum ducebatur, exhibet Gemma V. Tabulae XCV. in quo ſummum eſt artificis praeſtantiſſimi opificium. Erumpit ex ore eius pinguis ſpica, ubertatis felicitatiſque index. (5) In Gemma VI. eiuſdem Tabulae bos ante aediculam ignoti mihi numinis ſponte humi procumbit, (6) ut in ſacrificiis Deo-

(1) Inter Monumenta Agri Auguſtani pag. 253. edit. Venet. MDXCIV.
(2) Carm. II. & III.
(3) Inſcript. ant. Cap. IV. n. 494.
(4) Vide Ciceronem in epiſt. ad Plancum Lib. X. 12. 18. & de Divinat.
(5) Confer Ant. Auguſtinum in Dial. VIII. Antiq.
(6) Virgilius Aeneid. Lib. V. v. 480.

Deorum contingebat, mactante eum popa. Mactata victima, sive hostia exta speciebant Haruspices, & Extispices, & de futuris scientiam dicebant; de quibus disserit doctissimus antiquorum lapidum interpres Reinesius. (1) In Anthologia adferuntur duo epigrammata Polemonis regis, & Platonis, qui descripsere boves iaspidi annulari egregia arte insculptas. (2) Pauperes, qui maiores hostias, & victimas exhibere non poterant, pro veris simulatas, effictas ex pane, vel e cera Diis offerebant; quae animalia qui fingebant FICTORES PONTIFICVM appellantur in vetustis inscriptionibus. Bovem e myrrha, thure aliisque pretiosis odoribus fictum, distributum in magno totius Graeciae conventu ab Empedocle Acragantino, equis victore in certamine, quod esset Pythagoricus, & animatis cibis abstineret, memoriae prodidit Athenaeus. (3)

Gemmas *superstitiosas* in Classe VII. repono. His usi sunt veteres Ethnici pro bullis, & amuletis, quibus ad abigenda mala, atque ad bona, & fausta quaeque comparanda vim aliquam inesse credidere. Huius generis complures habes Gemmas in hoc Volumine, praesertim litteratas, de quibus superius nonnulla diximus. Alias indico sine litteris, nempe I. & III. & VIII. in Tabula XCV. in qua apertum oculum circumstant octo animalcula terrestria. Superstitiosas quoque esse censeo illas Gemmas, quae Zodiaci signa caelestia, ut diximus, praeferunt, vel omnia simul, vel aliqua seiunctim expressa. Vetus inscriptio a Fabretto producitur, (4) in qua Aurelia titulum ponit Glauco Mutinensi Retiario pugnarum septem; & postea monet amatores eiusdem ut planetam eius procurent; in Nemese vero ne fidem habeant, quod ipse fuerit deceptus. His addendae Gemmae quae ad horoscopum adludentes ab astrologis fieri solebant; *amatoriae*, nec non ad incantationes pertinentes, quas describit Lucianus; Abraxeae, pura putaque haereticorum figmenta, ut paullo ante ostendimus ad Gemmam IV. Tab. XIIII.

In Classe VIII. reponenda sunt *Deorum propria symbola, sive insignia*, quae quum nota sint, ac pluribus in Gemmis huiusce Musei Florentini a me illustrata, consulto praetereo. Accedunt arbores, plantae, herbae iisdem sacrae; nimirum, ut paucis utar exemplis, lotus, cuius flore Aegyptiorum Numinum caput exor-

(1) Syntagm. Inscr. ant. Cl. V. n. XIII.
(2) Lib. IV. Cap. XVIII. 5. 6.
(3) Lib. I. Cap. II.
(4) Cap. X. n. 307.

exornatur, quem expreſſum cernis in Gemma II. Tabulae XCIII. eodemque decoratur in vertice Siſtrum quatuor virgularum, Iſidi ſacrum, & in eius myſteriis adhibitum, Gemmae I. eiuſdem Tabulae inſcalptum. Ex eadem loto confecta fuiſſe Deorum ſimulacra notat Pauſanias. (1) Interdum pro loto eidem Siſtro impoſiti ſunt feles, ut exhibet aheneum Siſtrum perinſigne Medicei Cimeliarchii. Felem, animal in tutela Iſidis, ſive Lunae, praefert Gemma VIIII. Tabulae XCV. His adiungo aras igne accenſas, thure omnibuſque odoribus refertas, frigidas, ſubitarias, ceſpititias, puras, vel anaglypho opere inſculptas, encarpis, ſertiſque coronatas; ad haec aediculas, candelabra, lucernas, phialas, tripodes, vaſa Deorum nominibus inſcripta, quae in vetuſtis Aſiae inſcriptionibus ab eruditiſſimo Edmundo Chishullo editis, & illuſtratis memorantur in templis poſita, & dedicata; (2) praeſertim thymiamateria, aliaque varii operis, & figurae; item vaſa odoraria, & calathos e viminibus, vel e thallis arborum tigilliſque confectos, ut videre eſt in Gemma IV. V. & VI. Tabulae XCIII. quibus etiam Deorum Dearumque capita decorantur. Haud poſtremum locum inter haec obtinebit Cyſta myſtica in ſacris arcanis Iſidis, Cereris, Bacchi, Magnae Deum Matris, & Bellonae adhibita; (3) cum qua perſaepe thyrſus, & ferulae, perſonae, & oſcilla iunguntur; quae ſingula in Gemmis ſculpta tamquam ſymbola Deorum frequenter occurrunt.

Claſſem VIIII. adtribuo *inſignibus, & inſtrumentis Sacerdotum, Religioſorum, omniumque Miniſtrorum Sacrorum*. Praecipua haec ſunt; apices, galeri, mitrae, infulae, vittae, coronae, litui, thyrſi, taedae, faces, cymbala, tympana, crotala, ſiſtra, acetabula, lyra in ſacrificiis & in Orgiis adhibita, quae in Gemma IV. & V. Tab. XCVI. exhibetur. Lyra ibidem expreſſa, quam mus ſcandit, ut chordas arrodat, inſignis eſt, & antiquo epigrammate a Tullio Gemino in Anthologia illuſtrata. (4) Alterum vero Lyrae ſchema ex iiſdem Cimeliis Bonarrotiis depromptum, ſingulare eſt; nam anconum loco utrimque ſculpti ſunt delphines; pro echeo vero ſculptus canis vel ſopore, vel quiete captus: quod eximius artifex fortaſſe fecit ut oſtenderet vel Dianae, vel potius Baccho eamdem Lyram ſacram eſſe; nam ſuperne perſona, ſive oſcillum eidem impoſitum

(1) In Arcadicis Cap. XVII.
(2) Pagina 70. & in ſeqq.
(3) Vide Monum. addita Donianis Inſcr. Tab. VIII. p. LXI.
(4) Lib. I. Cap. XXII. 9.

tum eſt, vel ut deſignaret animalia muſico lyrae ſono mirifice demulceri, ut docet Clemens Alexandrinus. (1) Quod vero canes mirum in modum eius concentu delectentur, ex eo colligo, quod in pluribus Gemmis iidem ſculpti ſunt comites non Heroum modo, quorum geſta lyra canuntur, verum etiam Citharoedorum, & Faunorum Lyriſtarum; cumque his prae gaudio ſaltant ad modos dithyrambicos.

Inter inſtrumenta Miniſtrorum ſacrorum recenſenda quoque ſunt cymbia, ſitulae, aſpergilli, litui, praefericula, capedunculae, acerrae thurariae, thuribuli, diſci, lebetes, paterae, tripodes, amphorae, gutti, ſimpuvia, urcei, gladii, cultri, ſecures, ſeceſpitae, mallei, aliaque ad ſacrificia Deorum pertinentia inſtrumenta, quae in Gemmis non raro inſculpta ſpectantur.

In hanc Claſſem, in alias etiam, ſi cui videtur, ſubdividendam, diſponi poſſunt Magiſtratuum inſignia, faſces, ſedes, ſubſellia, ſellae curules, & throni, cuius typum exhibet Gemma III. in Tab. XCIII. Modius, cui ſuperius impoſitae lances aequato pondere, vel ſtaterae, ad Aediles; eaedemque, ut vulgo dicimus, bilances cum incude, malleo, & forcipe ad Triumviros monetales pertinent: quae inſignia peaeferunt duae Gemmae rariſſimae I. & II. in Tab. XCI. depromptae ex Dactyliotheca Bonarrotia. Hae librae, ſeu ſtaterae, quum ex tenui lingula, & manubrio in medio pendeant & ſuſpenſae ſint pegmati, quod utrimque ornant leones, ad expendendum quodcumque vel minimum auri cum auro diſcrimen adhibitas fuiſſe arbitramur; quapropter *aurariae* videntur. In Gemma I. obſervandum eſt pro aequipondio in laeva parte lancium appenſum perparvum Mercurii caput, quod iiſdem annulo quodam adfixum eſt. Inter Cimelia V. C. Senatoris Philippi Bonarrotii exſtant duo ex aere capita Mercurii, quae cum in vertice manuleata ſint, maioribus lancibus appenſa fuiſſe pro aequipondio creduntur. Id factum ea de cauſa puto, quia Mercurius forte eas invenit; vel quia, ut Diodorus teſtatur, pondera, & menſuras, quaeſtumque ex mercaturis facere docuit. (2) Mercurius in Gemma, quam exhibet Volumen Bonarrotium, dextera tenet libram, ſive, ut dicimus, bilances aurarias; in alia vero ante eum ſedentem adſtat Fortuna, ſeu Nemeſis Dea, quae aurarias ſtateras tenet. Eodem mo-

V do-

(1) In Admonitione ad Gentes fere in principio.

(2) Vide Io. Roſini Ant. Roman. Lib. II. Cap. IX.

do lancibus, & ſtateris pro aequipondio appenſum quoque caput galeatum Romae, quod ex aere in faſtigio anſatum exſtat in Mediceo Cimeliarchio; quare hinc fortaſſe apud nos aequipondio nomen factum eſt *il Romano*. Ibidem etiam adſervantur aheneae lances perparvae aurariae antiquae, aureum Auguſti numiſma ad amuſſim aequiponderantes, quibus adpenſum eſt, ut aliqui volunt, Iunonis Monetae caput; (1) mihi vero larvae caput videtur his omnino ſimile, quae in angulis ſepulcrorum, & ararum defunctorum ſtatuuntur; eadem fortaſſis de cauſa poſitum, ad arcendos violatores, & iniquas fraudes. Hinc pondera, & menſurae ſervatae in templis Deorum, & Herculis, & Mercurii tutelae commendata. (2) Onychi, quem vidi in Medicea Dactyliotheca, inſcalptus eſt modius, cui impoſitae ſunt lances utrimque aequato pondere; ſuperne vero inter duas ſpicas expreſſum eſt caput procul dubio Aedilis Plebis, vel Praefecti Vrbis, vel Quaeſtoris Vrbani, ad quos etiam cura ponderum, & menſurarum pertinuit; uti etiam apud Aediles in Municipiis, & Coloniis Romanorum, quod obſervo ex antiquo lapide inter Donianas Inſcriptiones. (3)

His adiungi poſſunt tropaea, & arma militum tum Graecorum, tum Romanorum, quae elegantiſſimo opere ſculpta exhibentur in pluribus Gemmis. Duas produximus in Tabula LVII. n. IV. & V. huius Voluminis.

Claſſis X. ſi cui ita libuerit, eas Gemmas continebit, quae *Symplegmata* praeferunt, multorum nempe ſymbolorum, animalium, & inſtrumentorum, quae enumeravimus complexiones, ut exemplo eſſe poteſt Gemma adlata in fronte huius IV. Claſſis; item VI. & IX. relatae in Tabula XCI. nec non I. in Tabula XCVI. in qua ſculptum eſt copiae cornu fructibus abundans; cui adhaeret navis gubernaculum, quod moderatur papilio, inferne vero cernitur globus, mundi ſymbolum; quo emblemate ex Platonicorum ſententia vis animae mundi, eiuſque providentia declaratur. Alia complura Symplegmata dedimus, & illuſtravimus in Tab. XLVIII. XLVIIII. L. & LI. Voluminis I. Muſei Florentini; nam, ut ait Philoſtratus, infinita propemodum ſunt phantaſmata earum rerum quae fingi poſſunt.

AP-

(1) Hanc doctorum virorum amplectitur opinionem Ill. Comes Aloyſius Lorenzi, Academicus Etruſcus, qui de antiquorum lancibus erudite diſſeruit.

(2) Vide Fabrettum Inſcr. ant. Cap. VII. pag. 524. & ſeqq.

(3) Cl. V. n. 26. notas vide.

APPENDIX

GEMMARVM XVIII OMISSARVM

QVAE

IN TAB. XCVII. XCVIII. XCVIIII. ET C.

EXHIBENTVR.

TABVLA XCVII.

AVcto, locupletatoque Mediceo Cimeliarchio compluribus Gemmis admirandi operis, & eximiae raritatis, quas nuper conquiſivit IOANNES GASTO MAGNVS DVX ETRVRIAE, quum iam iam excuderetur Volumen I. Muſei Florentini; optimum factu viſum eſt ex earum numero cum inſigniores, tum alias haud ſane praetermittendas hoc in loco pro coronide adferre.

Gemmarum ordinem in hoc Volumine, & in altero ſuſceptum ſervantes, primum ex Dactyliotheca Victoria producimus ACHILLEM armis, ocreiſque inſtructum, ad bellum proficiſcentem; in quo Gemmae ſcite ſuppletae fragmento ſcriptum eſt nomen artificis QVINTI ALEXAE, quod ad hoc tempus incognitum fuit. Hoc cognomen *Alexae* non raro occurrit in antiquis inſcriptionibus; unicum indicaſſe exemplum apud Fabrettum (1) ſufficiat. T. XCVII. n. I.

PTOLEMAEVS Lagi filius, primus Rex Aegypti. Effigies eius nummis longe ſimillima eſt; Gemma exquiſiti opificii praeſtantia, & raritate inſignis. n. II.

(1) Inſcr. ant. Cap. VI. n. 59.

T. XCVII. n. III. BERENICE MAGNA. De hac effigie, quae cum nummis eiusdem Reginae Aegypti maxime convenit, dubitari minime potest. Opificium optimum est, ac valde commendabile.

n. IV. PTOLEMAEVS PHILADELPHVS Aegypti Rex, eximio opere inscalptus Sardae, nummis optime respondens.

n. V. CASSANDER, qui post mortem Alexandri Macedoniam occupavit, egregia arte, magnaque cum nummis similitudine Sardae inscalptus.

TABVLA XCVIII.

T. XCVIII. n. I. QVIRINVS Romulus, primus Romanorum Rex; cuius imago, huic omnino similis, cernitur in nummis Memmiae gentis. In numismate argenteo apud Fulvium Vrsinum caput eiusdem Quirini coronatum est.

n. II. C. PLAVTIVS HYPSAEVS DECIANVS Consul, imagini suae in nummis Plautiae Gentis apud Vrsinum optime respondens. Hic cum L. Aimilio Mamercino Consule, qui honoris gratia Privernas appellatus est, Kalendis Martiis, captis Privernatibus, de iisdem triumphavit anno V. C. CDXXIII. ut docent Fasti Capitolini.

n. III. L. COELIVS CALDVS, qui Consul fuit anno V. C. DCLVIIII. viro antiquariae rei perito insculptus videtur. In numismate argenteo apud Fulvium Vrsinum aetate magis provecta sculptus est, & glaber.

n. IV. CN. CORNELIVS LENTVLVS MARCELLINVS clarus in Romana republica rebus gestis, & duobus consulatibus anno V. C. DCXCVII. & DCCXXXV.

n. V. CAIVS CAESAR cognomento Caligula, capite laureato.

TA-

TABVLA XCVIIII.

CLAVDII CAESARIS ET AGRIPPINAE AVG. capita iugata, pereleganti opificio sculpta. T. XCVIIII. n. I.

CLAVDII CAESARIS ET ANTONIAE AVG. capita iugata, egregio opere sculpta. n. II.

DOMITII NERONIS CAES. ET POPPAEAE AVG. capita adversa, Onychi insignis magnitudinis pereleganti opere anaglyphico exscalpta. n. III.

L. AVRELII COMMODI CAES. ET CRISPINAE AVG. capita adversa, eleganti opificio Sardae insculpta. n. IV.

PLAVTILLA Plautiani Consulis opulentissimi filia, Caracallae uxor; eximio artificio inscalpta Iaspidi rubro, similitudine vero longe maxima cum marmorea eius protome, quae spectatur in Mediceo Cimeliarchio. Diadema, quo caput eius ornatur, Phrygio opere intertextum est. n. V.

TABVLA C.

HERCVLES IVVENIS vultu viventi, ac spiranti similis, anaglypho opere absolutissimo expressus in Chalcedonio ex ditissima Dactyliotheca Strozia. Collum teres tanto ac tam miro artificio intus magna ex parte excavatum est, ut non sine stupore eximiae artis miraculum observari possit. TAB. C. n. I.

AVGVSTI imago, ut credunt viri docti, aetate iam senio provecti. Vixit enim annis LXXVI. diebus V. & XXX. minus, Suetonius narrat. Opus certe aureae eius aetatis est, ac valde praecellens. n. II.

MEDVSAE GORGONIS CAPVT alatum, & anguibus crinitum, summo artificio expressum. n. III.

Haec ſunt, benevole Lector, quae in GEMMAS ANTIQVAS duobus hiſce Voluminibus comprehenſas pro ingenii mei tenuitate obſervare, atque adnotare potui. Ingentem hunc pretioſiorum antiquitatis monumentorum theſaurum indicaſſe viris doctis mihi ſufficit; in quae, ut verbis utar Phaedri Lib. IV. Fab. XXV.

Superſunt mihi quae ſcribam, ſed parco ſciens,
Primum eſſe ne tibi videar moleſtior,
Diſtringit quem multarum rerum varietas;
Dein ſi quis eadem forte conari velit,
Habere ut poſſit aliquid operis reſidui.
Quamvis materiae tanta abundet copia,
Labori faber ut deſit, non fabro labor.

Interim gratulare, ac fave huic noſtrae de litteraria republica benemerendi voluntati: nam illud feliciter noſtra quoque aetate evenire cernis, quod priſcis temporibus maxime glorioſum fuiſſe teſtatur Petronius; in quibus *quum adhuc nuda placeret virtus, vigebant artes ingenuae, ſummumque certamen inter homines erat* NE QVID PROFVTVRVM SECVLIS DIV LATERET.



INDEX

RERVM

QVAE IN ANTIQVIS GEMMIS

HVIVS VOLVMINIS

OBSERVANTVR.

Numeri Romani Praefationem, Vulgares Librum, Asteriscus adiectus Notas indicant.

Alcimus

Armil-

D

 Elysio-

E

F

G

H

divi-

M

Colle-

Ovum

Side-

T

V

Z

F I N I S.

E M E N D A N D A.

Pag. 78. *linea penultima lege*; quem artifex ſatis appoſite. Pag. 85. *linea ultima lege*; cum Dîs. Pag. 128. *linea* 5. *lege*; aperto capite. Pag. 145. *linea* 25. *lege*; Lithographi. *Ibid. linea* 31. *lege*; & mirum ſit.

ADPROBATIONES
HVIVS OPERIS.

IMPRIMATVR.

IOSEPH MARIA Archiepiſcopus Florentinus.

IMPRIMATVR.

Fr. VINCENTIVS DE COMITIBVS a Bergomo, Exgeneralis Ordinis Min. Conventualium S. Franciſci, Inquiſitor Generalis Florentiae.

IMPRIMATVR.

PHILIPPVS BONAROTA Senator, & R. C. Magni Ducis Etruriae Auditor.

C H A R T A R V M

S E R I E S.

a b c d A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y.

Omnes sunt Duerniones praeter d qui est Ternio.

F L O R E N T I A E
EXCVSVM EXORNATVMQVE TABVLIS CENTVM AERI INCISIS
SVMPTIBVS SOCIORVM NOBILIVM FLORENTINORVM
IN TYPOGRAPHIA FRANCISCI MOVCKE
ANNO CIƆ. IƆ. CC. XXXII.





